3

CASPARIS SAGITTARII
HISTOR. PROF. P.
EPISTOLA
De
ANTIQVO STATV THVRINGIÆ
Sub
Indigenis, Francorum, Germaniæque Regibus
UT ET
Ducibus, Comitibus, Marchionibus
Vſque ad ortum
LANDGRAVIORVM.
Ad
VIRVM MAGNIFICVM & CONSVLTISSIMVM
DOMINVM
JOHANNEM SCHILTERVM
CONSILIARIVM AVLICVM
SAXO-JENENSEM.

JENÆ
Apud JOH. BIELCKIUM Bibliopol.
CIↃ IↃC LXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIR MAGNIFICE NOBILISSIME AC CONSULTISSIME

Patrone obſervanter colende.

BIennium prope jam effluxit, qvod animum inducerem ad illuſtrandam qvorundam ſeculorum propius ætatem noſtram attingentium hiſtoriam: cumqve celeberrimum Bœclerum in nono decimoq; occupatum noſſem, ab undecimo auſpicium laboris ſumere conſtitui. Pulchre primum, ceu tum exiſtimabam, procedebat tela: ut ſpes me aleret non mediocris, paucorum menſium decurſu unius ſeculi geſta contextum iri. Vtebar librorum apparatu, qvem mei ſuppeditabant foruli; & ubi ille non ſufficeret, ad divitem beati Anteceſſoris Boſii, Viri ſempiterna memoria dignisſimi, ut & ad publicam Academiæ noſtræ Bibliothecas itum eſt. Qvandoqvidem autem ſemel atqve iterum retexerem confecta; nonnulla retractarem; ſupplerem alia; adeo creſcebat ſub manibus opella, ut unius Cæſaris hiſtoriam vel mediocri corpuſculo ſuffectura crederem. Mutato igitur conſilio ſingulorum Imperatorum, ſive, ut rectius loqvar, Germaniæ Regum vitas ſeparatim animus erat edere: ſecutus præcipue Johannem Conradum Dieterichum, qvi non modo primorum Imperatorum à Cæſare ad Neronem, ſed etiam Saxonicorum ab Henrico Aucupe cum tribus Ottonibus ad Henricum II. Vitas ſingularibus disſertationibus expoſitas, & poſtea faſciculis duobus comprehenſas ſtudio non contemnendo illuſtravit.

Digitized by Google

ſtravit. Etſi vero Vir laudatus etiam in exordio ſeculi XI. qvod attinet ad Henricum II. elaboraverat; non putabam tamen oleum atqve operam me plane perditurum, ſi ab ipſo illo Henrico II. initium capiens ad ſucceſſores juſto ordine progrederer: tum, quoniam non per omnia ſimilis mihi cum Dieterіcho methodus; tum, quod non pauca ab ipſo prætermiſſa obſervaſſem. In incunabulis hujus hiſtoriæ primo ſe offerebat ECCARDUS Marchio, æmulorum Henrici primus, ac forte potentia maximus, qvem a Sigfridi Comitis Northeimenſis filiis Poledæ occiſum, qvando in urbe JENA ſepultum, apud Ditmarum Præſulem Merſburgenſem legerem, non parum lætabar eo nomine; haut ſine cauſa ratus, hanc antiqviſſimam civitatis noſtræ apud veteres memoriam, & terminum qvaſi qvendam eſſe, in qvo a noſtris temporibus ad vetuſta recurrendo pedem figere liceret. Neqve injuria conjiciebam, neqvaqvam exile aut vulgare oppidulum fuiſſe, qvo in tantus Princeps, & apicem regni Germanici ambire auſus, ſepulturam indeptus. Atqve hæc prima occaſio fuit in Eccardi illius vitam ac res geſtas ſollicitius inqvirendi. Magis vero adhuc crevit voluptas rimandi virtutes ac gloriam Eccardinam; qvando ex ejusdem filia Mathilda, Marchiones Miſniæ Wettinenſis proſapiæ omnes, eoq; univerſam, qvæ hodie (faxit Deus ſempiterno vigore,) floret! SERENISSIMORUM SAXONIÆ DUCUM familiam, illuſtre genus ducere animadverterem. Qvievit quidem aliqvantiſper una cum ipſo Henrico II. Eccardus noſter: donec paucas ante hebdomadas latebris emergeret, occaſione habendæ diſputationis pro loco in Facultate Philoſophica obtinendo. Hoc Tibi ſciſcitanti cum coram exponerem, Vir Magnifice, non modo probare viſus es qualecunq; propoſitum, ſed & plus ultra in Hiſtoria Marchionum Miſniæ ac Landgraviorum Thuringiæ pergendum graviter hortabaris. Qvod ſicuti tum in me recepi, ita, ſi neceſſariis

Digitized by Google

ceſſariis ad hanc rem præſidiis omnibus cum tempore fuero inſtructus, pro facultate virium præſtare conabor. Ceterum in iſto colloqvio (ſi placet recordari) mentio facta loci cujusdam in Ditmari Chronico, quo Eccardum *ſuper omnem Thuringiam communi totius populi electione Ducatum prometuiſſe* aſſerit. Dixi tum me pœne inclinare in ſententiam Reverendi ac Clariſſimi Viri M. Johannis Zaderi, ad cathedralem Eccleſiam Numburgenſem Paſtoris vigilantiſſimi, qvi Ducatum militarem fortean poſſe intelligi, familiaribus literis expoſuerat. At Tibi, Vir Nobiliſſime, mens alia: & militarem non modo Ducatum, ſed etiam cum principali in civilibus poteſtate conjunctum deſignari affirmabas. Cumque inſtarem, an ex ævo Carolingico, aut Saxonicorum Cæſarum, præter hunc Eccardum nominari poſſent Duces alii, commodum Tibi ſuccurrebat teſtimonium Siffridi Presbyteri Miſnenſis, qvi non tantum Duces Thuringorum memorat, ſed haud obſcure quoque indicat, in illorum locum ſuffectos Landgravios. Præterea communicabas mecum nobile *de Protectione Saxonica in civitate Erfurtenſi* ſcriptum, mihi hactenus inviſum, qvod ipſa illa Ditmari de Eccardi Ducatu verba eleganter explicaret. Abhinc cœpi paulo curatius & in Ditmari teſtimonium, & in Thuringiæ Ducatum inqvirere: ac qvando non pauca huc facientia interim occurrerent, perqvam commode accidit, qvod Juvenis præclare doctus M. Johannes Fridericus Krebs, Philoſoph. Facultatis Adjunctus eruditis objectionibus ſuis ad hanc materiam in publica panegyri me deduceret. An tum ſplendido plerorumque Academiæ Patrum, aliorumqve honoratiſſimorum Hoſpitum conſeſſui, nec minus florentiſſimæ Studioſorum Civium coronæ diſſertatione mea ſatisfecerim, eqvidem ignoro. Officii tamen mei, ſimulque debitæ Tibi obſervantiæ erat, publice teſtari, SCHILTERIANO Nomini hanc de Ducatu Thuringiæ diſqviſi-

 tionem

tionem me debere. Atq; ex eo tempore decrevi amplius cogitare tam de hoc argumento, qvam de antiqvo Thuringiæ ſtatu omni, & qvicqvid de eo certi indagare detur, peculiari ſcripto comprehenſum Tibi, Vir Magnifice, tanquam Patrono ſingulari inſcribere. Id nunc per hanc epiſtolam facio: qvam ſi ſerena fronte benivolisqve manibus excipiens, ſi qvæ dicta bene, calculo tuo comprobaveris; qvæ ſecus, donec mutare liceat, comiter tuleris, ac qvando per graviſſimas occupationes fuerit integrum, aberrantem reduxeris in viam, ſummopere mihi gratulabor.

Vt autem ab ovo, qvod ajunt, & a primis principiis ſummam rei repetam, de antiqvo ſtatu Thuringiæ ante Francorum ditioni qvam ſubjiceretur, ex probatis Scriptoribus præcipua capita afferam; deinceps qvalis Thuringiacæ terræ ſub Francorum Regum poteſtate fuerit conditio, exponam. Poſtea digrediar ad tempora Regum Germaniæ, ſub qvibus Arnulphi præcipue ævo Ducatus Thuringorum illuſtris fuit: ac tandem ad ortum Landgraviorum, qvam metam mihi præfinivi, deſcendam.

Thuringici nominis primam, niſi fallor, memoriam debemus Vegetio Renato, *Mulomedicinæ*, ſive *Artis Veterinariæ* auctori, qvi libro IV. cap. VI. *Toringos equos* una cum Burgundionibus *injuriæ tolerantes* tradit. Hic vero idem ſi ſcriptor eſt, cujus *de re militari* exſtant libri V. (in hac ſane eſt ſententia Hermannus Comes Nevenarius *Mulomedicæ* ſuperioris ſeculi anno XXVIII edens) vixit is qvarta Chriſtiana æra, imperitante Valentiniano. Qvod ſi tamen concederes Philippi Cluverii conjecturis, qvi pro Deuringis in Taciti Germaniam irrepſiſſe putat *Reudingos*, longe majorem huic nomini antiqvitatem fœneraremur. *Thervingi* Ammiano Marcellino aliqvoties memorati an iidem ſint cum Thuringis noſtris, non immerito dubitaverim: qvamvis alioqvin conſtet apud poſteriores ſcriptores, Procopium,

Digitized by Google

copium, Jornandem, Æthicum, Sidonium, Suidam, Diaconum, & alios varie, pro multiplici dialectorum variatione, ſcribi. Qui a Tyrigetis derivant gentem nobiliſſimam, miris modis ſe neceſſum habent torquere: perinde atque illi, qui Miſnenſium origines a *Myſis* arceſſunt; cum tamen ſicut ipſa Miſnia a fluvio hujus nominis, ſic ipſi populi inde appellationem traxerint. Equidem uti illud ſtudii genus, quo Germanicorum quorundam populorum ortum ab ultima antiquitate repetere nonnulli connituntur, vehementer probo; ita non poſſum non ſubiraſci eorum credulitati, qui propter ſolam nominis affinitatem ad gentes ſub alio ſole calentes, inque earundem migrationibus ad neſcio quæ portenta fabularum deſcendunt. Vndecunq; jam Thuringis princeps ſyllaba adhæſerit, utiq; vocis terminatio Germanis olim uſitatiſſima, Germanos natales arguit. Vel ipſa *Lotharingia* fidem dictis adſtruit, & nomina urbium in *Ing* finientia idem demonſtrant: qualia nunc ſuccurrunt: Balingen/Beuchlingen/Beringen/Bopſingen/Breuſingen/ Dillingen/Dutlingen/ Elbingen/Elchingen/Eppingen/ Eßlingen/Etlingen/ Flißingen/ Freyſingen/ Geißlingen/Göppingen/ Göttingen/ Grävelingen/ Gröningen/ Heringen/ Kitzingen/ Laugingen/ Leiningen/ Memmingen/ Nördlingen/Otingen/ Remlingen/ Reutlingen/ Schleuſingen/ Schöningen/ Sickingen/ Simmeringen/ Straubingen/ Tübingen/ Uberlingen/Weiblingen. Et ſingulare illud eſt, quod patriæ meæ Luneburgenſis pleræqve caſæ ſalinares ſimiliter deſinentia habeant nomina: quod & ipſum antiquitatis non contemnendum reor indicium. Quarundam vocabula ſubjicio: Beling/ Benning/ Bernding/ Brering/ Bützing/ Elüving/Ebtzing/Egeting/Evering/Deying. Vetuſtas Thuringorum ſedes ac migrationes varias enumerare, ac diſtinctius conſiderare, mei nunc non eſt inſtituti. Suffecerit paucis indicaſſe, me hactenus ſubſcribere Illuſtris Viri

ſum-

ſummeqve de me meriti Hermanni Conringii ſententiæ, qvam exqviſito *de antiqviſſimo Helmſtadii Statu* opuſculo per epitomam, alibi autem latius expoſuit. Et ea qvidem hæc eſt: *Thuringos olim Hermunduros audiiſſe; eandemq; gentem jam olim inter præcipuas habitam, Auguſti & Tiberii ævo Miſniam tenuiſſe, & hinc ad Danubium usq; progreſſam; ubi Taciti ævo contra Rhætiam & Vindeliciam ab Egra usq; tum Albi adſcriptis fontibus, omnem Danubii oram Vlmam fere usq; poſſediſſe: donec ſeculo tertio in mediterranea Germaniæ iterum redire a Vandalis, Burgundis & Svevis compulſa, Cheruſcorum terras per vim occupatas, indeq; in Chaucos majores promotis limitibus Thuringiæ nomen in omnem illam ſceptro ſuo ſubditam regionem jure & more victorum tranſtulerit.* De Civili ſi quæras antiquorum Thuringorum regimine, quin regium illud fuerit, nulla amplius reſtat dubitatio: præcipue quia aliquorum Regum & nomina & res geſtæ ſuperant. Qualis tamen & quanta Regum illorum fuerit poteſtas, nunquam puto fore ut idoneis teſtibus exacte comprobari qveat. Neqve vero qvemqvam opinari credo, ac ſi magnum illud univerſæ, qvam late patuit, Germaniæ corpus uno eodemqve gubernatum modo, geminisqve legibus. Nam ut diſtinctos populos complures numeravit Teuthonica tellus, ita quemque peculiaribus diſtinctisque moribus, legibus, inſtitutis, regnandi ac parendi regulis gaviſos facile licet exiſtimare. Attamen id commune fortasſis fuit ſingulis, qvibus Reges fuere, gentibus, ne indefinitam, aut liberam poteſtatem iisdem indulgerent; ſed potentiam regiam primorum populi arbitrium temperaret. Tacito id credimus auctori, cujus libellum de Germanorum moribus qui illuſtrarunt, plura huc facientia attulere. Interea quia Reſpublicæ in perpetuo fere ſunt motu, aliqui forte etiam Thuringicorum Regum id ſunt aſſecuti, quod Maroboduo tribuit Vellejus Pater-
culus

Digitized by Google

culus, qvem *non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem & ex voluntate parentium conſtantem inter ſuos occupaſſe principatum; ſed certum imperium, vimque regiam animo complexum* aſſerit. Regnum Thuringiacum a C. Julio Cæſare primitus deſtructum quis credet affirmanti Auctori de Landgraviis Thuringiæ? ſive is primus fabricator fabulæ, ſive illa ad antiquiorem fabulatorem referenda. In appendice MS. illius Martini Poloni, quem Bibliotheca ſervat Academica, quæ alias pœnè integrum, longe tamen locupletiorem repræſentat hunc Anonymum, ejusmodi dicta nondum reperi. Ac mallem qvoqve omiſiſſet ſequentia, riſum potius, quam refutationem merentia: *In partibus Thuringiæ* (ædificavit Julius Cæſar) *Cuſſitze, quod eſt nomen Gallicum, id eſt confuſio, in perpetuum argumentum, quod regnum Thuringiæ fuit per eum confuſum.* Habentur hæc cap. II. Anonymi. Sed MS. Poloni præterquam qvod diſtinctionem in capita ignorat, laudata verba memorat loco alio. Quid? ſi fabulis qvoqve computaveris, quæ de Thuringis a Saxonibus duplici verſutia ſeductis VVitichindus Corbejenſis monachus initio *Annalium* prolixe memorat; & paululum immutata legimus in Gobelini Perſonæ Decani Bilfeldienſis *Cosmodromio ætat. V. cap. XI.* Certe in iis, quæ ex Eginharto de prima Saxonum origine refert Adamus Bremenſis *lib. I.* nihil tale comparet. Vnde & Conringio VVitichindeæ narrationis fides in hac cauſa non parum eſt ſuſpecta. Sed miſſis hiſce fabuloſis, aut dubiis ſaltim, ad ea nos conferemus tempora, quorum hiſtoriæ majori luce radiant. Hoc ſeculum eſt a nato Servatore quintum; quo Rex Francorum CLODIO turbavit Thuringorum fines, iisdem Diſpargum caſtellum eripiendo, ſedemq; ſibi regalem ſtatuendo. De eo Geſta Francorum Epitomata Gregorii Turonenſis nomen præferentia, & a Marqvardo Frehero *in Corpore Hiſtoriæ Francicæ* edita cap. V. ſic loqvuntur:

tur: *Mortuo Faramundo, Chlodionem filium ejus crinitum in regnum Patris ejus elevaverunt. Tunc temporis crinitos Reges in initium ſublimaverunt. Venientesqve ſagaciter in finibus Toringorum, ibique reſederunt. Habitavit itaque Clodio Rex in Diſpargo caſtello in finibus Toringorum in regione Germaniæ.* Et paucis interjectis: *Clodio Rex miſit exploratores de Diſpargo caſtello Toringorum usqve ad urbem Cameracum.* Tangunt & hoc Excerpta Chronicorum Gregorii Epiſcopi Turonenſis cap. V. *Subſtituitur Chlodeo in regno, utiliſſimus vir in gente ſua, qui apud Hesbargem* (Freherus ad marginem notavit: *al. Diſpargum*) *caſtrum reſidebat, quod eſt in termino Thoringorum.* Aimoinus luculentius illa exponit lib. II. *de geſtis Francorum* cap. IV. qvod qvia breve, integrum adſcribam: *Regem vero, ceterarum more nationum Franci ſibi eligentes Faramundum Marchomiri filium, ſolio ſublimant regio. Cui filius ſucceſſit Clodio crinitus: illo in tempore Francorum Reges criniti habebantur. Finitimos itaqve bello laceſſendo Thoringorum, qui Germaniæ incolunt fines, depopulantes, caſtellum quoddam Disbargum nomine occupant, in qvo Rex Clodio ſedem ſui conſtituit regni.* Breviter Sigebertus Gemblacenſis ad annum CCCCXXXI. *Clodio Thoringiam invadit, & in Diſpargo caſtello Thuringorum aliquamdiu habitavit.* Prolixior eſt narratio Johannis Tritthemii in *Annalibus Francorum*, quæ & ipſa adſcribi meretur: quamquam affirmare non ſuſtineam omnino recte ſe habere, quæ de antiquioribus admiſcet; cum iis uſus quandoqve ſit auctoribus, quorum vacillat fides. *Clodius Rex Francorum anno regni ſui octavo, qui fuit Dominicæ nativitatis CCCCXXXIV. indictione Romanorum II. contractis copiis exercitum movit in Doringiam. Franci, quod longe ſupra diximus, ſub Franco Rege anno ante CHRISTI nativitatem XXXVII. cum Doringis, Saxonibus, Teuthonibus atque Germanis perpetuum contraxerant fœdus, quod usque ad obitum Re-*

gis Marcomiri per annos ferme CCCCXXX. inviolabiliter ſervatum eſt ab omnibus. Marcomiro autem Rege Francorum a Valentiniano Cæſare (ut prius eſt dictum) anno Domini CCCXCIII. occiſo, Doringi & Saxones cum Germanis & Teuthonibus a ſocietate Francorum receſſerunt, rebus non ſatis provide ſub Ducibus actis. Hujus occaſione diſſidii, Rex Clodius Doringiam potenter intravit, Regem vicit & gentem, eosq; tributum dare Francis annuum, & vincentum deinceps obedire mandatis coarctavit, ut qui liberorum ſub jure fœderis antiqui ſocii manere contempſerant, eorum ſervi, ſubditi & tributarii eſſe cogerentur. Huc usque Tritthemiana: in quibus nec id ferendum cenſeo, qvod jam tum ſub Clodio Thuringos tributis Francicis obnoxios referant. Nam id ſub Clodoveo demum contigit. Qvod ſi qvis dixerit, aliqvoties Thuringis a Francorum Regibus indicta tributa, non multum quidem repugnaverim: at mallem tamen ipſos cognoſcere auctores, e quibus ſua hauſerit Tritthemius, quo rectius liceat de tota re ferre judicium. *Dispargum* autem quodnam ſit caſtellum, Gregorio Epiſcopo, Aimoino ac Sigeberto memoratum, quæſitu non indignum. Eruditiſſimum Chifletium in *Anaſtaſi Childerici Regis* de eo quoque laboraſſe, nuper admodum me docuit Johannis Mauritii Gudeni *Hiſtoria Erfurtenſis.* Sed quando noſtra bibliopolia hoc ſcriptum pro tempore fugiat, quo is inclinet, ignoro. Hermannus Evvichius, Veſalienſis Eccleſiæ miniſter in *Veſalia* ſua *Heinsbergum* eſſe putat: quod oppidum eſt, ni fallor, Juliacenſis ditionis. Contextum Evvichii integrum ſubjicio. *Attamen Franci trans Rhenum ad ejus ripam habitare pergebant, ibidemqve numero ita creverunt, ut ex patria noſtra, vicinia etiam ejus Duisburgo & Tuitienſi munimento, ſub Clodio Crinito Duce ſuo flumen iſtud trajecerint, & Dispargum alterum, quod certe*

tamen comparebit Rex Francorum, qvi a ſuis conjectus in exilium apud Thuringorum Regem tutum reperit hoſpitium; modo non illud pudendo conſpurcaſſet adulterio. Sed prius eo qvam deveniamus, an non antiqviora de Thuringiæ ſtatu ſuperſint contemplabimur. Clodius Rex Francorum ſucceſſorem nactus eſt MEROVEVM. Hujus in regno ſuo qvantumvis magna fuiſſent geſta ac immortali laude dignisſima, in Thuringos tamen porro aliqvid tentaſſe apud veteres (recentiores absqve iſtorum ſuffragio parum moror) non invenio: ſive jam Attila conatibus obicem poſuerit; ſive Thuringi pacate viventes nullum qverelæ locum Francis reliqverint; ſive qvid aliud negocii interceſſerit. Et Attilæ qvidem ſigillatim hic facienda erat mentio, qvem pervulgatus rumor eſt in Thuringiam noſtram penetraſſe. Eſt in manibus meis Erfurtenſis Syndici *libellus*, ut vocatur, *articulatus*, in cauſa Archiepiſcopi Moguntini contra civitatem Erfurtenſem præſentis ſeculi anno qvinto concinnatus, qvo in artic. XXXIII. & XXXIV. hoc ipſum indubitato aſſerit, tyranni etiam irruptionem muniendæ Erfurto anſam dediſſe affirmans. Cl. Gudeno qvoqve idem fere placuiſſe video, in *Hiſtoriæ Erfurtenſis* frontiſpicio ſcribenti: *Attila ex Pannoniis exercitu qvadringentorum millium venit. Attilæ viribus impares Thuringi donis & ſubjectione hoſtem concitarunt, poſtea expeditionis ſocii. Cæſo in Catalaunicis campis tyranno, & in latibula reverſo, ne ſegreges par calamitas iterum obrueret, arces exſtruere, ſua jungere mapalia cœperunt, ut viribus unitis fortiores certatim omnes excubarent.* Mallem hic auctores ſuos laudaſſet Vir doctisſimus. Qvamvis hic non Rivandrum aliqvem, aut de Thuringiæ Landgraviis anonymum; ſed in vetuſtis rebus vetuſtos qvoqve teſtes exoptem: qvo in (qvod pace politisſimi Scriptoris dixerim) non raro videtur peccaſſe. Sed ut ad Attilam revertamur, non levis ſuboritur dubitatio,

 an

an demonſtrari certis monimentis qveat, Flagellum illud Dei afflixiſſe has Thuringiæ oras. Apud Callimachum Experientem in *Hiſtoria Attilæ* ejus rei nihil exſtat. At Nicolaus Olahus Metropolita Strigonienſis in ejusdem Tyranni *hiſtoria* cap. XI. hæc affert. *Athila Remenſibus expugnatis, pervagata Gallia, ac Flandria direpta, depopulataqve in Thuringiam proficiſcitur. Hic volens declarare, ſe univerſa Galliæ totiusqve Occidentis eſſe victorem, ſolennem (ut vocant) curiam in Iſinaca urbe ſe celebraturum indixit. Pleriqve vicinorum Regum ac populorum, partim metu, partim qvod eum ejusqve apparatum videre optabant, eo confluxere. Quos Athila magnos oneratos donis, liberos remittit.* Sed & hic novitius Scriptor eſt, cui in antiqvioribus ſine teſte commentanti tuto non liceat adhibere fidem. Si Iſinacum tanta vetuſtate claret, mirum apud Hiſtoricos Francorum vetuſtisſimos plane non commemorari. Ante hoc qvadriennium eruditisſimus qvidam Juvenis in hac ipſa Academia ſingularem *de Attila* diſſertationem, etiam præſidiis Boſianis adjutus conſcribens, præter unicum, neſcio cujus, germanicorum annalium conſarcinatoris apud Lazium lib. IX. *de Gentium migrationibus* teſtimonium nihil hactenus indagare potuit. Audiamus hominem ſermocinantem: Da der Khünig Etzl Vlandern/ und Franckreich gäntzlich zerſtört/ da khamer hin gen Cöln an den Rheyn/ und döttet Vrſulam des Khünigs Dochter von Britannia mit ayndlif tauſind Mayden. Darnach zog er gen Tyringen in das Land/ und ruffet eynen Hoff pey der Stat Iſanach genant/ und ſendet da ain groſſe Menge/ und Heer gen den Markhen. At vero ſi non magis vera Attilæ Iſenacenſia comitia, ac Vrſulæ cum duabus prope virginum legionibus martyrium, vereor ne tota hæc narratio fictitia ſit ac commentitia. Qvod ſi qvis tamen certiora attulerit, nemo me tam præfractæ mentis ſentiet,

qvin

qvin his induxero ſpongiam. Tantum eſto de ſtatu, ſive potius ignorantia ſtatus antiqvi Thuringorum ævo Merovei. Nam qvæ de arce Erfurtenſi a Meroveo condita afferuntur, prius itidem apud me fidem non invenient, quam incorruptæ antiqvitatis confirmentur teſtimoniis. Auctori *de Landgraviis Thuringiæ* in talibus qvid crederes, qvi in recentioribus tantopere cæcutivit? Ad CHILDERICUM Merovei filium pergemus. Hic eſt, qvem a ſuis, non immerito tamen, Francorum regno pulſum in Thuringia inveniſſe diximus hoſpitium. Excepit illum Rex Thuringorum Biſinus, ſed multo magis Baſina regina, inhoneſtis novi hoſpitis delectata baſiis. Geſta Regum Francorum epitomata cap. VI. *Childericus Rex, filius (ut diximus) Merovei, cum eſſet nimis luxurioſus, & regnaret ſuper Francos, capit filias eorum diſtrahere, & violenter deludere eas. Illi autem hoc nimis indignantes, voluerunt occidere eum, & ejicere de regno. Ille autem cum hoc audiiſſet, Toringiam petiit. Abiit ergo Childericus in Toringiam, apud Regem Biſinum uxoremq; ejus Baſinam latuit.* Et ſeqventi capite: *Dum fuit in Toringia, cum Baſina regina uxore Biſini Regis ipſe Childericus rex commixtus fuit.* Gregorii Turonenſis Excerpta Chronica cap. XI. *Childericus filius Merovei, cum ſucceſſiſſet patri in regno, nimia luxuria diſſolutus filias Francorum ſtupro tradidit. Illi vero ob hoc indignantes eum de regno ejiciunt. Childericus habitans in Thoringia apud Regem Byſinum, uxoremqve ejus Baſinam, latuit.* Gemina legas apud ipſum Gregorium Hiſtoriæ Francor lib. II. cap. XII. Sic Aimoinus lib. I. *Hujus* (Childerici) *regni primordia qvibusqve bonis deteſtanda fuere. Hic namqve contra Francos primum neqviter agens, cum filias nobilium inceſto contaminare non deſiſteret, regno ejicitur. Qui expulſus, Regem Thoringorum Biſinum nomine expetiit, tutam ſibi apud eum latebram fore autumans: nec ſpe ſua fruſtratus*

eſt.

eſt. Nam cunctio exilii ſui tempore cum Rege converſatus honorifico apud eum loco habitus eſt. Sigebertus Gemblacenſis ad annum CCCCLXI. *Hildericum inſolenter & luxurioſe ſe agentem Franci regno deturbant. Qvi data aurei medietate amico ſuo Widiomaro, qvod eſſet ſignum renovationis ſuæ, ſi aliqvando intercederet reconciliatio, apud Baſinum Regem Thuringorum latuit annis octo.* Conferri etiam huc poſſit Trittenhemius in *Annalibus Francorum.* Qvæ tetigit Sigebertus de dimidio aureo a Widiomaro (qui & Wiomadus, Winomadus, Vidomarus ab aliis dicitur) Childerico Regi tradito, ea prolixius exponunt ſcriptores rerum Francicarum: qvod autem proxime ad nos non ſpectent, prætermitto. Verum Childerico Wiomadi artibus revocato, qvæ ſemel verecundiæ limites tranſilierat Baſina, gnaviter exercet impudentiam, legitimoqve toro mariti deſerto in adulteri genialem lectum concedit. Et tamen ex hac commixtione natus CLODOVEVS Francorum ille Rex potentisſimus. Geſta Francorum Epitomata cap. VII. *Baſina qvoqve illa regina Biſini Regis Toringorum, relicto viro ſuo ad Childericum venit. Cumqve interrogata fuiſſet ab eo,* Qvid qværeret, aut pro qva cauſa ad eum de tam longinqva regione veniſſet? *reſpondiſſe fertur:* Novi utilitatem tuam, & pulchritudinem, qvod ſis utilis atqve ſtrenuus: ideo veni, ut habitem tecum. Nam ſi in extremis finibus maris utiliorem te cognoviſſem, ipſum expetiisſem, atqve cum eo habitaſſem. *At ille gaudens, eam ſibi in conjugium copulavit. Poſt hæc igitur concipiens ex eo peperit filium, vocavitqve nomen ejus Chlodoveum. Hic fuit Rex magnus, ſuper omnes Reges Francorum, pugnator bellicoſisſimus atqve egregius.* Gregorii Turonenſis Excerpta Chronica cap. XII. *Baſina, qua Biſinum Regem in Thoringia jugalem habebat, cum audiſſet Childericum a Francis in regno ſublimatum, curſu veloci relinqvens*

Biſi-

Biſinum ad Childericum tranſiit. Qvi cum ea ſolicite interrogaſſet, qva de cauſa ad eum de tam longe veniſſet, reſpondiſſe fertur: Novi, inqvit, utilitatem tuam, quod ſis valde ſtrenuus, ideoqve veni, ut habitem tecum. Quam Childericus gaudens & diligens ejusdem pulchritudinem in conjugio copulavit. Concepit Baſina, & peperit filium nomine Chlodoveum. Hic fuit magnus & pugnator egregius, ad inſtar Leonis fortisſimus ceteris Regibus. Ipſa Gregorii Turonenſis Francorum Hiſtoria lib. II. cap. XII. ita refert: *Ille* (Childericus) *certa cognoſcens indicia, qvod a Francis deſideraretur, ipſis etiam rogantibus a Thoringia regreſſus, in regnum ſuum eſt reſtitutus. His erga regnantibus, ſimul Baſina illa, qvam ſupra memoravimus, relicto viro ſuo, ad Childericum venit*, &c. Aimoinus, lib. I. cap. VIII. *Baſina autem Bisſini Thoringorum Regis uxor, cognoſcens Childericum paternum recepiſſe regnum, ad eum, priori abjecto viro, ire contendit: dicebatur autem idem princeps conſvetudinem ſtupri cum ea habuiſſe, dum apud præfatum exularet Regem. Childericus ergo dum ab ea quæreret, qva de cauſa ad ſe venire tantopere curaſſet, hoc ab ea reſponſum accepit: Tua, inqvit, virtute cognita & modeſtia cognita expetere decrevi: Nam ſi ultimis in finibus orbis te utiliorem invenire me ſperarem, nulla itineris moleſtia impediret, qvin eum properanter adirem. Cumqve ab ea Rex hæc accepiſſet reſponſa, immemor amicitiæ & beneficiorum ab ejus viro ſibi collatorum, ipſo ſuperſtite, utpote paganus, eam ſibi in matrimonium adſcivit.* Sigebertus ad ann. CCCCLXIX. *Baſina uxor Baſini Regis Thuringorum relicto viro ſuo ad Hildericum venit, quam ille uxorem ducit, & ex ea Clodovæum genuit.* Tritthemius in Annal. Francor. *Cum audiiſſet Baſina uxor Baſani Regis Doringorum, qvod Hildericus eſſet a Francis reſtitutus in regnum, dimiſſo viro ſuo ſecuta eſt eum in Galliam, nimio ejus amore concitata, qvem ex diuturna familiaritate cohabi-*

tandi, apud Doringos contraxerat. Hildericus venientem bilari vultu admittens, ſibi ut notam deſumſit uxorem Baſani Regis, a quo triennio benigne fuerat hoſpitio receptus, male humanitatem hanc remunerans. Atque hic eſt ille Clodovæus, qui poſtea Thuringiam ſubjugavit, & cum ipſis Regibus, ſibi regnoque Francorum fecit tributariam. Geſta Francorum Epitomata: *Chlodoveus exinde decimo anno regni ſui commoto exercitu magno valde in Toringiam abiit: ipſosque Toringos plaga magna proſtravit. Devictoque ipſo populo, totaque eorum terra vaſtata, ipſos Toringos tributarios Francorum fecit.* Gregorii Turonenſis Excerpta Chronica cap. LI. *Eo anno rebellantibus Saxonibus Chlotarius commoto exercitu maximam eorum partem delevit, Thoringiam vaſtans, quia eis auxiliare præſumſerant.* Tribus verbis Sigebertus ad ann. CCCCXCV. *Clodovæus Thuringiam ſibi ſubjugat.* Etiam Gobelinus *Coſmodromii ætate VI. cap. XXV.* tangit, dum Clodovæum *habuiſſe ſub ſe Thuringiam* teſtatur, quod tamen cum grano ſalis accipiendum; ne putemus regiam dignitatem tum in Thuringia exſtinctam. Vberius Trittenhemius; quem de ſuis absque veterum ſuffragio aliquid addidiſſe opinor: *Anno regni ſui nono Clodoveus Rex bellum movit in Doringiam: propterea quod & tributum olim eis impoſitum ſolvere contemnerent, & ejus matrem Baſinam non ſolum de adulterio, ſed etiam de furto calumniarentur manifeſte. Veniens itaque in regionem Doringorum omnia ferro devaſtavit & igne, Regem vicit, & ad ſolutionem tributorum coegit.*

Clodoveus ille, qui primus Francorum Regum Chriſtianiſmo nomen dedit, deceſſit annum circiter IↃXIV. Tunc regnum Franciæ in partes diviſum: ac Pariſiorum quidem regimen accepit Childebertus, Sveſſionas Clotharius, Aurelianenſes Clodamirus: Theodorico Medioma-

tri-

trices, ſive ut poſtea nominari cœpit, regnum Auſtraſiæ, obvenere. Ea tempeſtate Thuringorum quoque regnum in partes ſectum, trigaque fratrum Badericus, (alii Baldericum vocant) Herminfridus & Bertharius ſumma rerum potiebantur. Vxor Herminfridi Amelberga, Theodorici Italiæ Regis filia (VVitichindus Annal. lib. 1. & Anonymus de Svevorum origine a Goldaſto editus perperam ipſius Clodovei gnatam faciunt) virilis animi fœmina, ſed arrogantiæ typho tumida, inteſtinum inter fratres concitabat & fovebat bellum. Cumque jam Bertharius vi oppreſſus, Herminfridus Badericum impetit, ope Theodorici Mediomatricum reguli, cui dimidia, ſi vinceretur, ditionis Badericianæ ſors addicta: nec ſervata tamen: id quod capitali inimicitiæ, quæ denique evertit Herminfridum, occaſionem dedit. Narrationem adſcribemus Gregorii Turonenſis lib. III. cap. IV. quæ jam dictis lucem fœnerabitur. *Porro tunc apud Thoringos tres fratres regnum gentis illius retinebant: id eſt Badericus, Herminefredus, atque Bertharius. Denique Herminefredus Bertharium fratrem ſuum vi opprimens, interfecit. Is moriens Radegundem filiam orphanam dereliquit: reliquit autem & alios filios, de quibus inſequentibus ſcribemus. Herminefredi vero uxor iniqua atque crudelis, Almaberga nomine, inter hos fratres bellum civile diſſeminat. Nam veniens quadam die ad convivium vir ejus, menſam mediam opertam reperit. Cumque uxorem quid ſibi hoc velit, interrogaret, reſpondit: Qui, inquit, a medio regno ſpoliatur, decet eum menſæ medium habere nudatum. Talibus & his ſimilibus ille permotus, contra fratrem inſurgit, ac per occultos nuncios Theodoricum Regem ad eum perſequendum invitat, dicens: Si hunc interficis, regionem hanc pari ſorte dividemus. Ille autem gaviſus hæc audiens, cum exercitu ad eum dirigit. Conjunctique ſimul fi-*

dem ſibi invicem dantes, egreſſi ſunt ad bellum. Confligenteſque cum Baderico, exercitum ejus atterunt, ipſumque obtruncant gladio: & obtenta victoria, Theodoricus ad propria eſt reverſus. Protinus Herminefredus oblitus fidei ſuæ, quod Regi Theodorico indulgere pollicitus eſt, implere deſpexit, ortaqve eſt inter eos grandis inimicitia. Aimoinus lib. II. cap.IX. *Praerat Thoringis Rex Hermenfridus, duobus ſuis fratribus trucidatis. Cui acceſſerat ex conjugio vana quadam mentis elatio, quod ei filia Theodorici Regis Italici ex ſorore ſuſcepta Clodovei, jure copularetur nuptiali. Hæc muliebri faſtu elata, quod regali manaret e proſapia, fratrem mariti Bercharium nomine ingenti oderat crudelitate: deniqve ſvadet viro, ut fratrem ſibi æmulum vita privet & regno. Id ille nil moratus effecit, miſſisque lictoribus eum perimi juſſit. Pari modo alium, vocabulo Baldricum, ſuſpicione fraternæ inſimulatum vindictæ, infanda damnavit morte. Hac arte Amalberga (id quippe nomen mulieri) vacuefecit ſibi aulam regni, dum ſimulat ſaluti ſe velle conſulere mariti. Miſer ille, qui putaverit, quod illa in ejus fratribus parricidales odiſſet cogitationes: nec animadverteret conſortes regni ac periculorum ſublatos eſſe ſuorum. Adeo apud improbos eſt affectus vilis, ut cito parvis ſuggeſtionibus extorqueatur.*

Cauſam belli Theodoricum inter & Herminfridum Baderici dimidiam hæreditatem diximus, atque ex Gregorio Turonenſi firmavimus. Eadem eſt Sigeberti ſententia, qui primo ad ann. IↃXIIX. notat: *Theodoricus Rex, frater Lothari, ab Ermenfrido Rege Thuringorum ad perimendum fratrem illius Baldericum pactione medietatis regni illius invitatus, Baldericum Regem perimit.* Ad annum deinde IↃXXIV. ſubjicit: *Theodericus Rex, repoſcens ab Ermenfrido Rege pactum, cum fratre Clothario inſurgit in eum.* Neque tamen me latet longe aliam afferri a Witichindo in *Annalibus* &

bus & Anonymo *Originum Suevicarum* Scriptore à Goldaſto edito: quibus tamen merito Turonici Antiſtitis, tanquam longe antiquioris auctoritatem præfero. Et quia alias ἀσύστατα quædam in illorum ſermone comparent, nolim in iis refellendis multum deſudare: ſed ad ſummam hiſtoriæ revertar. Theodoricus vana ſpe deluſus, aſſumto in ſocietatem Clothario fratre, Thuringos bello petit. Quamvis autem horum ſtrategemate multi Francorum primum in perniciem traherentur; ad extremum tamen Herminfridum in fugam conjicientes tantam ſtragem ad Vnſtrutum edunt, ut etiam flumen cadaveribus cæſorum oppletum ſicco pede transmitterent. Gregorius lib. III. cap. VII. *Poſt Theodoricus non immemor perjurii Herminefredi Regis Thoringorum, Chladarium fratrem ſuum in ſolatium ſuum evocat, & adverſum eum ire diſponit, promittens Regi Chlodario partem prædæ, ſi eis munus victoriæ divinitus conferretur. Convocatis igitur Francis, dicit ad eos*; Indignamini, quæſo, tam meam injuriam, qvam interitum Parentum veſtrorum, ac recolite Thoringos quondam ſuper Parentes noſtros violenter adveniſſe, ac multa illis intuliſſe mala. Qui datis obſidibus, pacem cum his inire voluerunt: ſed illi obſides ipſos diverſis mortibus peremerunt: & inruentes ſuper Parentes noſtros, omnem ſubſtantiam abſtulerunt, pueros per nervum femoris ad arbores appendentes, puellas amplius ducentas crudeli nece interfecerunt: ita ut ligatis brachiis ſuper equorum cervicibus, ipſiqve acerrimo moti ſtimulo per diverſa petentes, diverſas in partes fœminas diviſerunt. Aliis vero ſuper orbitas viarum extenſis, ſudibusque in terram confixis, plauſtra deſuper onerata tranſire fecerunt, confractisque oſſibus, canibus avibusqve eas in cibaria dederunt. Nunc autem Herminefredus, quod mihi pollicitus eſt, fefellit, &

 omni-

Digitized by Google

omnino hæc adimplere diſſimulat: ecce verbum directum habemus: Eamus cum Dei adjutorio contra eos. *Qvod illi audientes, & de tanto ſcelere indignantes, uno animo eademqve ſententia Thoringiam petiverunt. Theodoricus autem Clotharium fratrem ſuum & Theodobertum filium in ſolatium adſumens, cum exercitu abiit. Thoringi vero venientibus Francis dolos præparant. In campo enim, in qvo certamen agi debebat, foſſas effodiunt: qvarum ora operta denſo ceſpite, planum adſimulant campum. In has ergo foveas, cum pugnare cœpiſſent, multi Francorum eqvites corruerunt. Et fuit eis valde impedimentum: ſed poſt cognitum hunc dolum obſervare cœperunt. Deniqve cum ſe Thoringi cædi vehementer viderent, fugato præ timore Herminefrido Rege ipſorum, terga vertunt, & ad Oneſtrudem fluvium usqve perveniunt. Ibiqve tanta cædes ex Thoringis facta eſt, ut alveus fluminis congerie cadaverum repleretur: & Franci tanqvam per pontem aliqvem ſuper ea in litus ulterius tranſirent.*

Prolixa at luculenta hæc eſt narratio Gregorii: paulo brevior ſeqvens Aimoini lib. II. cap. IX. *Inde fratre Clothario in ſocietatem aſcito, ipſe cum filio Theodeberto Thoringiam petit. Profectus itaqve Theodoricus in Thoringiam, obviam habuit Hermenfridum cum innumera multitudine hoſtium: foderant autem Thoringi foſſam, qvam texerant operimento ceſpitum, ut advenientium inibi debilitarentur eqvi Francorum. Qvo cognito, Franci acriter indignati, hoſtes ultima labefactarunt pernicie: actosqve in fugam usqve Oneſtrudh fluvium proſeqvuuntur. Ibi etiam adverſarii reſiſtere auſi tranſituqve prohibere Francos gravi ſatagebant certamine. Sed ubi ſe Franci ipſo uſu veteri aſſvetaqve vincendi confirmarunt conſvetudine, ordine ſuo nixi incurſantes cædere, ſcutis repellere, niſu omni ac virtute inconditam multitudinem in fluvium urgere cœperunt. Nec difficile fuit plurimos in amne mergi, cum*

Digitized by Google

haud procul a littore res gereretur. Tanta autem ſtrages tunc de Thoringis facta fuiſſe fertur, ut cæſorum congerie completo fluvio, Franci ſuper interfectos in ulteriorem tranſirent ripam. Videantur porro Geſta Francorum Epitomata cap. XXII. Sunt qvi prælium illud, ante qvam fugerent Thuringi, ad Ronneburgum geſtum autumant, inducti procul dubio Witechindi Annalibus, qvi locum *Runibergum* vocat: ad qvem in notis Henricus Meibomius: *Runibergum hodie Ronneberg.* At in MS Martino Polono locus prælii vocatur Tenebergk. Et belle qvidem. Nam Tenneberga in hoc tractu ſita: a qvo longe abeſt Ronneburgum. Eidem Witichindo debemus fugam Herminfridi in urbem Scheidingam: qvam multi recentiorum, nec immerito, pro regali in Thuringia ſede habent: cujus in præſentem diem cum nomine Burgſcheidingen manent veſtigia. Ita autem Witichindus: *Et cum gravi exercitu appropians terminis Turingorum, invenit eum valida qvoqve manu generum ſuum ſe exſpectantem in loco, qvi dicitur Runibergum, & commiſſo certamine pugnatum eſt ancipiti bello una die & ſecunda: tertia vero die victus Erminfridus ceſſit Thiaderico & fugiens tandem ſe recepit cum reliqvo comitatu in urbem, qvæ dicitur* Schidingi, *ſita ſuper fluvium, qvi dicitur Vnſtrode.* Si ſtandum ulteriori apud Witechindum ſermocinationi, deſtitiſſet Theodoricus ab Herminfridi perſecutione, niſi miniſtri cujusdam oratio, tempore utendum demonſtrans, animum Regis mutaſſet. Capta igitur Scheidinga; ſed non niſi Saxonum ope, qvi in hanc expeditionem novem duces cum totidem militum millibus miſiſſe dicuntur. Contextum Witichindeum, qvo cum Martini Poloni convenit, adſcribere nimis prolixum foret. Sufficit in præſenti monuiſſe, tum Saxones pro ſtrenue navata opera Thuringiam Trans-Vnſtrutanam accepiſſe, reliqvam autem Cis Vnſtrutum in manibus Francorum per-

manſiſ-

manſiſſe. Nam primo, dum ad ſocietatem armorum vocantur, ſi plane vinceretur Herminfridus, capta urbe æterna illius terræ poſſeſſio Saxonibus promittitur. Huc ſpectant illa Witichindi: *Placuit Thiaderico, omnibusqve gloria victoriæ avidis, manere in caſtris, & mittere ad Saxones, qvi jam olim erant Thuringis acerrimi hoſtes, qvatenus ei eſſent auxilio: ſi qvidem vincerent Erminfridum, urbemq; caperent, terram eis in poſſeſſionem æternam traderet.* Deinde promiſſa qvoqve completa reperimus. Qvod iterum claret ex ſeqventibus ejusdem ſcriptoris: *His itaqve omnibus peractis reverſi ſunt ad Thiadericum in caſtra, & ab eo ſuſcepti, ſatisqve laudati, & in terra præſenti in æternam poſſesſionem donati ſunt. Socii qvoqve Francorum & amici appellati, urbem cui ab igne ut propriis mœnibus pepercere, primum incoluerunt.* Martinus Polonus: *Qvia Saxones juverunt Regem Theodorico* (ita MS.) *ideo Rex dedit Duci Saxonum qvidqvid ultra Unſtrut ſitum eſt verſus montana* Hartz/ *qvam terram pluribus annis habuerunt.* Apud rerum Francicarum Scriptores nihil qvidem ejus rei invenias. Neqve id valde miror; cum iſti a ſuis geſtorum curioſi, ac natis paulisper auctisqve inter Francos & Saxones disſidiis forte gloriam gentis Saxonicæ obſcurare ſint anniſi: qva de re alias diſpiciemus. Nunc ad Herminfridi interitum. In eo autem denuo diſcrepant Hiſtoriæ Francorum & Saxonicæ. Illæ Thuringia evocatum Tulbiaci (Colonienſis hodie ditionis oppidum Gülich/ ſive Zulpich) non ſine dolo Theodorici de muro præcipitatum referunt. Itaq; Gregorius lib. III. cap. VIII. *Idem vero regreſſus ad propria, Herminefredum ad ſe data fide ſecurum venire præcepit, qvem & honorificis ditavit muneribus. Factum eſt autem, dum qvadam die per murum civitatis Tulbiacenſis confabularentur, a neſcio qvo impulſus de altitudine muri ad terram corruit, ibiqve ſpiritum exhalavit. Sed qvis*

eum

Digitized by Google

eum inde dejecerit, ignoramus: multi tamen adſerunt, Theodorici in hoc dolum manifeſtiſſime patuiſſe. Aimoinus nec Herminfridi liberis Theodoricum peperciſſe aſſerit l. II. cap. IX. *Qvem poſtea Theodoricus, fide data Tulbiacum ad ſe venire mandavit: eumqve, dum deambulatum per murum urbis irent, & inter ſe alterutrum ſermocinarentur, præcipitem deorſum egit. Qvi ruens comminuto cerebro exanimatus eſt. Ex eo qvoqve genitis minime pepercit: ſed eos ſtrangulari præcipiens, univerſas Thoringorum civitates Francis ſubjugavit, priſtinaqve eos juſſit incolere domicilia.* Et ſic qvoqve habetur in Geſtis Francorum Epitom. cap. XXII. *Poſt hæc iterum Theudericus, data fide Ermenfrido Regi, Tulbiaco civitate ad ſe venire fecit. Cumqve ſupra murum ipſius civitatis conloqverentur, compulſus de muro urbis ipſius corruit ad terram, & mortuus eſt, ſuosqve infantes Theudericus interficere rogavit.* Witichindus autem ab Hiringo miniſtro qvondam fido, ſed tum pollicitationibus ſeducto, confoſſum narrat hunc in modum: *Qvi finis Regis ſecutus ſit, qvi memorabilis fama eſt, prodere non negligo. Miſſus deniqve Hiringus ad Thiadericum eo die, qvo capta eſt civitas, proxima nocte ſuſceptus ab eo permanſit in caſtris. Audito autem, qvia elapſus eſſet Erminfridus, egit ut dolo revocaretur, & Hiringus eum interficeret, tanqvam claris muneribus ab ipſo donandus, ac magna poteſtate in regno honorandus, ipſe vero Thiadericus cædis illius qvaſi alienus exiſteret. Qvod cum Hiringus ægre ſuſcepiſſet, falſis promisſionibus corruptus ceſſit, ſeqve parere voluntati illius confeſſus eſt. Revocatus itaq; Erminfridus proſternitur veſtigiis Thiaderici. Hiringus vero tanqvam armiger regalis ſtans ſecus evaginato gladio dominum trucidavit.* Seqvitur apud Witichindum, qvomodo Theodoricus a perpetrato facinore Hiringum ferre amplius noluerit; is autem re intellecta ipſum etiam Theodoricum obtruncarit. Qvod tamen Witichin-

Digitized by Google

tichindo non omnino probetur rerum hoc modo geſtarum ſeries, indicio ſunt verba, qvibus eandem obſignat: *Si qva fides his dictis adhibeatur, penes lectorem eſt.*

Qvomodocunque jam Herminfridus vitæ jacturam paſſus, id certum, cum eo penitus antiqvum illud Thuringiacum regnum concidiſſe. Nam Berthari, ab Herminfrido fratre peremti, filius a Clothario affine, ſive ante Herminfridum, ſive non diu poſt, e medio ſublatus eſt. Sic enim Gregorius Turon. lib. III. cap. VII. *Patrata ergo victoria regionem illam capeſſunt, & in ſuam redigunt poteſtatem. Clotharius vero rediens, Radegundem filiam Betharii Regis ſecum captivam abduxit, ſibique eam in matrimonium ſociavit. Cujus fratrem poſtea injuſte per homines iniqvos occidit.* Radegundis autem, Betharii filia, conjux Clotharii, vitæ tandem ſeculari renuncians, in Pictavienſi cœnobio, cujus egit Abbatiſſam, conſenuit. Gregorius laudato loco: *Illa quoqve ad Deum converſa, mutata veſte monaſterium ſibi intra Pictavenſem urbem conſtruxit, qvæ orationibus, jejuniis atq; eleemoſynis prædita in tantum emicuit, ut magna in populis haberetur.* Atqve hæc eſt illa Radegundis, ad qvam Venantius Fortunatus Epiſcopus Pictavienſis carmen ſcripſit elegiacum *de Thuringorum Excidio:* quod diu deſideratum cum reliqvis Fortunati operibus a Chriſtophoro Brovvero Moguntiæ anno CIƆ IƆCXVII. editum. Duplex autem error eſt Tritthemii libro de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, & Radegundem *Regis Thuringorum ultimi* filiam, & ex Fortunati elegis hexametros verſus facientis: quam obſervationem merito transſcribimus Illuſtri Conringio *Addendis lib. de antiquisſimo ſtatu Helmſtadii.* Alibi tamen Tritthemius, nempe in *Annalibus Francorum*, Radegundem recte Berthario Patri tribuit: qvem locum vel propterea afferam, qvod ſummam totius hiſtoriæ contineat; ac præ-

ſerea,

Digitized by Google

terea teſtis ſit & Fortunatum ſoluto quoqve ſermone de Thuringorum Excidio ſcripſiſſe: *Anno Lotharii Regis Francorum decimo, Dominica nativitatis ıↄXXIV. Indictione Romanorum ſeptima, cùm Rex Metenſium Theodoricus promiſſum ab Ermenfrido Rege Doringorum ob fraternam necem (ſicut diximus) expeteret, nec impetraret, in ira concitatus eſt, & vocatis in auxilium filio ſuo Theodoberto & fratre Lothario Regibus expeditionem movit in Doringiam, Ermenfridum Regem cum uxore ac liberis cepit, peremit, & regnum ſibi totum ſubjecit. Ab eo tempore Doringi Regem proprium non habuerunt. Captivatam vero inter alios Radegundem filiam Berthariì Regis olim, qvem Ermenfridus frater (ſicut diximus) per Theodoricum Regem Metenſium fecerat occidi, Lotharius Rex ſuo matrimonio ſociavit, qvæ magna ſanctitate claruit, & poſtea monialis facta ſignis & miraculis coruſcavit plurimis. De hoc Doringorum excidio, Fortunatus Archiepiſcopus carmine plenius ſcripſit & proſa.* At in eo iterum a Francorum ſcriptoribus vetuſtisſimis abit Tritthemius, qvod Bertharium Radegundis Patrem ope Theodorici occiſum tradat; cum ſupra ex Gregorio Turonenſi planum fecerimus, primo Bertharium a ſolo Herminfrido; poſt Badericum Theodorici ope ſublatos.

Sic igitur Thuringia ſexti Chriſtiani ſeculi anno XXIV. qvem & Sigebertus diſerte ponit, (nam Regino, ſive potius, qvem is ſecutus, male in annum CCCCL. retulit) confœderatis Francorum & Saxonum armis devicta partim Francici, partim Saxonici juris facta. Francici qvidem ſcriptores ſuæ ſolius ſubjugationis meminere. Hinc Geſta Francorum per Gregorium Turon. excerpta cap. XXXIII. *Regnum Thoringorum Francorum ditioni ſubactum eſt.* Ac in ipſa Hiſtoria Francorum Gregorii cap. VII. legas: *Patrata ergo victoria regionem illam capeſſunt, & in ſuam redigunt poteſtatem.*

 Et

Digitized by Google

Et apud Aimoinum lib. II. cap. IX. *Vniverſas Thoringorum civitates Francis ſubjugavit.* Cur vero Saxonum ut navatam ſtrenue operam, ita iisdem attributam Thuringiæ partem magnam ſicco pede prætereant, paulo ante declaravimus, ac alibi forte pluribus excutiemus. Fidē Witichindi, Scriptoris Saxonicarum rerum antiqviſſimi, qvare non æſtimemus, cauſæ nihil video. Supra teſtimonia jam tum laudata nunc & aliud ejusdem Hiſtorici affero: *Saxones poſſeſſa terra ſumma pace qvieverunt, ſocietate Francorum atqve amicitia uſi. Parte qvoqve agrorum cum amicis auxiliariis vel manumiſſis diſtributa, reliqvias pulſæ gentis tributis condemnavere.* Scilicet in Francorum ditionem tum redacta Thuringia Auſtralis; Septentrionalis autem in Saxonum poteſtatem venit. Et hæc qvidem Thuringiæ in Auſtralem ac Septentrionalē diviſio videtur tum potiſſimum cœpiſſe, qvæ poſtea tam in Hiſtoricorum monumentis, qvam in diplomatibus freqventem invenit memoriam. Monuimus de eo nonnulla in diſſertatione de Eccardo: ac plura forſan alias afferre licuerit; qvia præſertim nunc adeptus ſum Marci Wagneri libellum, vernacula lingva ſcriptum *de Regno Thuringiæ in pagos diſtributo*, qvo aliqvot exhibuit diplomatum excerpta (utinam per typographi oſcitantiam non tantopere vitiata!) qvæ hoc argumentum ſingulariter illuſtrant. Jam porro Conringii huc referemus verba aliqva ſigillatim exprimentia, qvæ tum facta juris Saxonici. *Venere*, inqvit, *iſthac ratione in Saxonum poteſtatem omnia Thuringiæ usqve ad Vnſtrutum amnem: reliqva Francis ceſſerunt. Hinc hodieque Mulhuſa & Northuſa Thuringiæ urbes Saxoniæ tribuuntur: & rudera Saxenburgicæ arcis ad Vnſtrutum ſuperſunt. Helmeſtadium itaqve etiam noſtrum, ſi non ante, tum ſaltim, Thuringicum ſceptrum deſiit venerari, & Saxones Dominos agnoſcere.* Vnſtrutum Saxoniæ limitem verſus Auſtrum agno-

Digitized by Google

agnoſcit qvoqve, licet venæ, non barbari tamen ſenſus Verſificator Tidericus Lange in *Saxonia* poëmatio:

Rhenus ab occaſu; ſimul Odera Solis ab ortu,
Oceanus Borea, qva terminat Vnſtrot ab Auſtro.

Qvia autem devictæ terræ in victorum provinciam redactæ ab iis qvoqve leges ſuas accepere; dubium non eſt, qvin Thuringia Francica, ſecundum Francorum morem; Saxonica, juxta Saxonum civilem ac bellicum gubernandi modum in poſterum fuerit adminiſtrata. Saxonum regimen neqvaqvam fuiſſe regium, jampridem eleganti Diſſertatione de *Ducibus & Comitibus Imperii Germanici* probatum dedit Conringius: & nos qvoqve in *Hiſtoria Bardevvicenſi* id aliqvoties ſignificavimus. Qvis autem demum fuerit imperandi modus apud Saxones antiqvæ libertatis ſtudioſos, ex Beda, VVitichindo & Krantzio itidem propoſitum. Nec minus de regimine Francorum fuſius ibidem pag. CIX. & ſeqq. actum: qvæ hic repetere nil attinet. Summa huc redit: Francorum Reges, cum per ſe provincias tam veteres, qvam devictas, temperare non poſſent, vicaria Ducum Comitumqve ope uſos, qvi nomine Regis præcipue jus dixerint, aliaqve negocia regni & pro re nata qvoqve bellica expedierint. Hos autem Duces, Comitesqve in provinciis devictis partim Francicæ proſapiæ, partim, ſi bene meriti, nec fidei ſuſpectæ, etiam fuiſſe indigenas. Hæc igitur ſi ad partem Thuringiæ in provinciam a Francis redactam retuleris, credibile eſt, & illam ad modum regiminis Francorum vel Duces vel Comites, vel utrosqve accepiſſe. Id tamen non immerito deploro, raram admodum rerum Thuringicarum memoriam a devictis usqve Thuringis ad Carolingica tempora, imo & in illis exſtare. Qvicqvid tamen hactenus mediocri diligentia congerere datum, hic qvaſi per ſaturam exhibere animus eſt. Saxonum ac Francorum amicitia poſt obitum

 Theodo-

Theodorici forte non diuturna fuit: ſiquidem jam anno IↃLVI. enatæ (credo de finibus) lites in bellum erupere, cui etiam non ſine inſigni clade immiſti Thuringi. Ad annum laudatum Sigebertus: *Lotharius Rex Francorum rebellantes contra ſe Saxones, & auxiliantes eis Thuringos gravi pugna & excidio perdomuit.* Sed & antiqviores advocabimus. Geſta Francorum epitomata cap. XXVII. *Rebellantibus Saxonibus Clotharius Rex commoto Francorum exercitu contra eos pugnam iniit ſuper Wiſeram fluvium, exercitum eorum maximum interfecit, terramqve eorum vaſtavit. Pervagans totam Toringiam ac depopulans, pro eo quod Saxonibus ſolatium præbuiſſent.* Iisdem prope verbis utuntur Gregorius Turonenſis Hiſtor. Francor. lib. IV. c. X. & Excerpta Chronica cap LI. Sic Aimoinus lib. II. cap. XXVII. *Poſthæc idem Rex in Saxones rectum iter direxit, qui aſſiduis excurſionibus Francorum devaſtabant fines. Quibus ſuper VViſeram fluvium bello ſubactis, Thoringos quoque, eo qvod Saxonibus auxilium tuliſſent, depopulatus eſt.* Ecce hic omnis culpa in Saxones, rebellionis accuſatos, confertur. Num igitur tum Saxones a Francis devicti, ut contra ſtimulum calcitrarent? Neqvaqvam. Imo ſi Saxonia Scriptores doctos ex illo ævo nacta, forte contrarium liqvido conſtaret, Francos ſcilicet has dediſſe turbas. Sed de his curatius diſpicere, alius eſt tractationis; & qvædam jam tum *in Hiſtoria Bardevvicenſi* in mentem venere: qvæ non diſplicuiſſe video Cl. viro Chriſtiano VVeiſio Gymnaſii Auguſtei, qvod VVeiſſenfelſæ eſt, Profeſſori: uti ex ejusdem Diſſertatione eleganti *de Carolo Magno* conſtat. An autem Auſtrales Thuringi excuſſo Francorum jugo ſe tum ſtatim adjunxerint, imo & ſubjunxerint Saxonibus, nondum auſim affirmare. Generatim de Thuringis id affirmat Nicolaus Serrarius in hiſtoria vitæ S. Bonifacii *lib. III. Moguntiacarum rerum*

rum inſerta *Not.* XXII. ad vitam Bonifacii Willibaldi, quæ is adducit verba, utut obſcuriora, adſcribam, viſurus, an certi aliquid iis exſculpere valeam. *Faceſſente ſuorum Regum* (Francorum) *dominio, magna quidem eorum Comitum multitudo ſub Theotbaldi & Hedenes periculoſo primatu (qui lugubre ſuper eos tyrannici Ducatus, & infeſtum vaſtationis potius, quam devotionis obtinebant imperium) vel corporali per eos præventa morte, vel hoſtili ſiquidem eductione captivata eſt, in tantumqve diverſis conſtricta malis, ut cætera, quæ manebat, reſidua populi turba, Saxonum ſe ſubjiceret principatui. Quo ceſſante Ducum* (Francorum) *dominatu, ceſſavit etiam in eis Chriſtianitatis & religionis intentio.* Non mihi nunc eſt integrum examinare ſingula Willibaldi: vel id tamen declarant, multos per Thuringiam a Francorum Regibus, & qui eorum nomine erant cum imperio, conſtitutos Comites, eosdemqve ſub Ducum, quorum duos nominatim recenſet, poteſtate fuiſſe; Duces autem illos auctoritate ſua inſolenter abuſos Thuringorum ad Saxones & a religione Chriſtiana defectionem induxiſſe. Nimirum etſi quandoque Comites non ſubeſſent Ducibus, pro temporum tamen ac locorum varietate id mutavit. Sunt qui affirment, unicuiqve Duci XII. paruiſſe Comites; nec diffiteor his conjecturis anſam dediſſe Annalium Francorum Scriptores: at ſemper id recepti fuiſſe moris ambigo. Bene interim eſt, quod præter illud VVillibaldi alia de Ducibus Thuringiæ ſuppetant teſtimonia. Nam, ut prætermittam Hunnorum in Thuringiam irruptiones, quarum una a Gemblacenſi monacho in annum IↃLXVII. altera in annum IↃCI. refertur, ad RADVLPHVM Thuringorum Ducem me converto. Hic ad tantum potentiæ ſublatus eſt faſtigium, ut Auſtraſiorum Regi SIGEBERTO, Dagoberti filiorum uni, ad quem etiam Thuringia Francica ſpectabat,

non

non dubitaret rebellare, & victoria potitus prope ſe pro Rege gererere. Integrum huc ſpectat cap. LXXXVII Chronici a Fredegario Scholaſtico concinnati, quod adſcribere nimis longum foret. Placet aliqua excerpere: *Cum anno VII. Sigybertus regnaret, Radolfus Dux Toringiæ vehementer contra Sigobertum rebellandum diſpoſuiſſet, juſſu Sigoberti omnes leudes Auſtraſiorum in exercitum gradiendum banniti ſunt. --- Sigobertus deinde Bugoniam* (ſylvam) *cum exercitu tranſiens, Thoringiam properans. Radulfus hoc cernens caſtrum lignis munitum, in quodã monte ſuper Vneſtrode fluvio in Toringia conſtruens, exercitum undique, quantum plus potuit, colligens, cum uxoribus & liberis in hoc caſtrum ad ſe defendendum ſtabilivit. -- Radulfus cum aliquibus Ducibus exercitus Sigyberti fiduciam haberet, quod ſuper ipſum non voluiſſent viribus inruere, de caſtro per portam prorumpens, ſuper exercitum Sigyberti cum ſuis inruens, tanta ſtrages Radulfo cum ſuis de exercitu Sigoberti fitur, ut mirum fuiſſet. -- In craſtino videntes, quod Radulfo nihil prævaluiſſent, miſſis diſcurrentibus, ut pacifice Rhenum iterum transmearent; cum Radulfi convenientia.* (forte; *connivèntia*) *Sigobertus & ejusdem exercitus ad proprias ſedes remeant.* (Freheri exemplar habet; *ad propriis ſedibus remeantur*) *Radolfus ſuperbia elatus ad modum Regis in Toringia ſe eſſe cenſebat, amicitias cum Winidis firmans, ceterisque gentibus, quas vicinas habebat, cultum amicitiæ obligabant in verbis, tamen Sigoberto regimen non denegabant. Nam in factis fortiter ejusdem reſiſtebant dominationi.* Bellum hoc a Sigeberto refertur in annum IↃCLXXV. a Trithemio in ann. IↃCXLVII. cujus *Annales Francorum*, neſcio quem ſecuti, Radulphum a Sigeberto coercitum tradunt. Sic enim habent; *Radulfus Doringorum Dux, in ſuperbiam erectus Francis negat conſvetum ſolvere tributum. Vnde Sigebertus Auſtraſiæ Francorum Rex con-*

contractis copiis exercitum movit in Doringiam, conſertisq; manibus Ducem vicit, & ad ſolutionem tributi coartavit. VVinidi, qvos Radulphus in ſocietatem traxit, erant Slavica gens, jampridem Thuringiæ Francicæ infeſta. Vnde Aimoinus lib IV. c. XXVI. ſcribit, *aſſiduis Sclavorum incurſionibus Thoringiam laboraſſe.* Nam *Winidos* potiſſimum denotare, quæ mox ſeqvuntur, aperiunt: *Quamdiu Sigebertus vixit, ſtudio ac induſtria Auſtraſiorum irruptiones refrænata ſunt Winidorum.* Et ſane ante ſuperbia quam corrumperet Radulphum, Winidos ſua fortitudine compeſcuerat: Fredegarius cap. LXXVII. *Radulfus Dux, filius Chamari, quem Dagobertus Toringiæ Ducem inſtituit, pluribus vicibus cum exercitu VVinidorum dimicans, eosque victos vertit in fugam. Hujus ſuperbia elatus, & contra AdalgyſelumDucem diverſis occaſionibus inimicitias tendens, paulatim contra Sygibertum jam tunc cœperat rebellare.* Haut multo poſt tempora illa incidere, quibus Francorum Reges a priſtina virtute degenerantes ſoloque nomine imperio uſi omnem poteſtatem indulſere Majoribus Domus. Quomodo tum comparatum cum Thuringia, quidve vel per ſe, vel per Duces, Comitesve in hac provincia egerint Majores illi Domus, exquiſito ſtudio ab Annalium Francicorum conditoribus conſignatum non reperias. Interea quia Francis cum Saxonibus perpetuæ propemodum interceſſere lites ac conflictationes, qvin & hæ Auſtralem Thuringiam non raro afflixerint, vero admodum videtur ſimile. Hic autem prætermittere non poſſum, quin paucis perſtringam inveteratum illum errorem de monaſterio ad S. Petrum Erfordiæ circa ſeculi octavi initia a Dagoberto Francorum Rege condito. Hac de re ſequentia reperio in MS. meo *Erphurdiano Antiquitatum Variloquo:* Anno DCCVII. Dagobertus *Rex Francorum conſtruxit monaſterium S. Petri in præfata urbe in*

Mervvigsburg dicta. Exinde paganico nomine ejusdem urbis deleto, mons S. Petri nomen obtinuit. Idem etiam Monachos Deo ſervientes in eodem monte poſuit rogatu Papæ Adeodati: Quod monaſterium cum omnibus, quæ in Thuringia habuit, S. Petro Apoſtolo contulit. Nec aliter alia Chronica Erfurtenſia. Et circumferturetiam Diploma Dagoberti de fundatione S. Petri in Erphurdia, quod in Appendicibus ad *Chronicon Montis-Sereni* exſtare qvoqve voluit Cl. Maderus: non, qvod crediderit Vir doctiſſimus rem ita ſe habere; ſed qvod in *Sylloge Fundationum quorundam Germaniæ monaſteriorum*, Anonymi Benedictini monachi ita repererit. Falſitatem autem hujus Diplomatis, quia in *Francorum Annalibus* graviſſimis argumentis jampridem convicit Tritthemius, eo potius lectorem benivolum ablegare, quam prolixam diſquiſitionem hoc loco inſtituere malumus. Dagobertſtadium autem Erfurtenſis agri, qvod vulgo hodie Daberſtad vocatur, ſi unquam Dagobertum Francorum Regem habuit conditorem; cum aliqvi fuerint cognomines, ad quem præcipue ſit referendum, maxime ambiguum eſſe autumo. Martinus Polonus qvæ de eo habet, alibi σὺν θεῷ afferentur. Vnum Dagobertorum ab anno IↃCCXVI. per qvatuor annos Francorum Regem audiviſſe communis fert opinio: qvamqvam non ſim neſcius ab aliis hic Clodovæum poni: niſi cum Tritthemio malis aſſerere, binominem fuiſſe Regem.

In hæc tempora Bonifacii, ſive, ut tunc vocabatur, VVinfridi, primus ob Thuringos ad religionem Chriſtianam, a qua pars defecerat, pars nunquam imbiberat, convertendos in has terras adventus incidit. Annales Francorum Fuldenſes a Marqvardo Frehero editi ad annum IↃCCXVII. *His temporibus VVinfridus, qvi poſtea, cum Epiſcopus ordinaretur, Bonifacii nomen accepit, Doctor Catholicus, natione Anglus, primum Romam, deinde cum*

auctori-

auctoritate Gregorii Papæ in Franciam ad prædicandum verbum divertit. Franciæ generali nomine Auctor deſignat germanicas terras omnes Francorum ditioni ſubjectas, ipſamqve adeo (Francicam ſcilicet) Thuringiam. Et diſerte eandem expreſſit Othlo, cujus hæc ſunt verba apud Serrarium: *His literis acceptis a venerabili Papa profectus eſt inde ad Longobardorum Regem Luitprandum. Profectus vero exinde, ardua & prærupta Alpium juga tranſcendit, incognitosqve Bajoariorum & Germaniæ terminos perluſtrans, in Thuringiam devenit, conſiderans & explorans in omnibus inſtar prudentisſimæ apis, ubi poſtmodum nectaream ſanctæ fidei dulcedinem colligere poſſet. Cumqve per aliqvot dies in Thuringia commoraretur, interim omnes illius provinciæ Principes verbis ſpiritualibus alloqvens, ad ſacræ fidei agnitionem, totiusqve religionis tramitem revocavit.* Nota in his: Thuringiam illo ævo habuiſſe *Principes* viros, qvos non tam Francicæ originis, qvam indigenas fuiſſe puto: qvod Franci jam pridem Chriſtiana doctrina eſſent imbuti. Scripſit ad hos Thuringos Principes Gregorius III. Papa Epiſtolam ab Othlone conſervatam, cujus hæc inſcriptio: *Viris magnificis, Aſolfo, Godolao, Wilario, Gunthario, Albordo & omnibus Deo dilectis Thuringis fidelibus Chriſtianis Gregorius Papa.* Neqve vero *fideles Chriſtianos* appellari reor, qvod Chriſtianismum a majoribus acceptum bona fide ſervaverint: ſed qvod ex novellis in Thuringia Chriſtianis ſuam conſtantiam præ ceteris demonſtraverint: id qvod etiam ipſa Epiſtolæ verba videntur indicare. Qvia vero per hunc Bonifacium divinæ veritatis ſemina per Thuringiam longe lateqve ſparſa, mirum non eſt, ſi a recentioribus *Thuringorum Apoſtoli* elogium acceperit. Et licet eum ab omni labe non exemerim (ſiqvidem Pontificium virus jam tum & ipſum & alios affecerat) civilem tamen in Thuringos ac Erfurtenſes præſer-

tim dominatum neqvaqvam in animo habuiſſe judico. Hinc & Gregorius Pontifex in alia ad univerſum populum Thuringorum Epiſtola teſtatur, ſe *illum non pro lucro aliqvo temporali acqvirendo direxiſſe, ſed pro lucro animarum miſiſſe.* Tum vero non proprio auſu, aut ſola fretus Papali auctoritate, Bonifacius ordinavit Eccleſiaſtica: ſed *ſeſe Caroli Martelli dominio atqve patrocinio ſubjiciens, cum conſenſu ejus in Heſſorum metas perrexit:* uti loqvitur Othlo lib. I. cap. XXVII. Præterea non niſi ſpecialibus protectoriis Caroli Martelli literis inſtructus rem tantam aggredi potuit voluitqve Bonifacius: qvas legas apud Serrarium lib. III. Notat. XVII. Et rebus qvidem in Haſſia conſtitutis, conſentiente procul dubio & concedente Carolo, *ad Thuringiam qvoqve profectus eſt, illiusqve populi Principes magna ex parte a Chriſtiana religione deficientes*(his confirmantur, qvæ paulo ante dixi)*corrigere ſtuduit. Poſtqvam enim religioſorum Ducu dominatio*(etiam hujus argumenti qvædam tetigi) *in eis ceſſavit, ceſſare etiam Chriſtianæ religionis intentio cœpit, falſiqꝫ qvidam Chriſtiani, qvorum nomina ſunt Drothwin & Berthheri, Canbereth & Hunred, inter eos hoſpitantes maximam hæreticæ pravitatis introduxerunt ſectam*: qvæ denuo ex Othlonis lib. I. cap. XXVIII. mutuatus ſum. *Cum autem prædicationis ejus fama undiqve emanaret, credentiumqve multitudo excreviſſet, Eccleſiæ inſtaurantur, Monaſteria ædificantur. Tunc etiam congregata ſervorum Dei multitudine, conſtructum eſt monaſterium in loco, qvi dicitur* Ordorf, *ſub honore S. Michaelis Archangeli*: uti hæc iterum verbis Othlonianis expreſſi *lib. I. cap. XXIX.* exſtantibus. Idem eodem loco memorat Ordorfium ſpectaſſe ad Hugonem qvendam Seniorem, qvi primus omnium Thuringorum hæreditatem ſuam venerando Præſuli tradiderit; ejusdemqve exemplum inſecutos alios, prædia ſua Ordorfienſi monaſterio contuliſ-

ſe.

ſe. Cave tamen exiſtimes prædiorum poſſeſſores una cum uſufructu etiam dominium civile Bonifacio reſignaſſe. Nam ſi ipſi cum imperio fuerunt, non credibile eſt, ſe eo plane privare voluiſſe; ſin autem Comitibus, vel Ducibus ſubjecti, hi qvidem conatibus iſtis obſtitiſſent. Nondum enim advenerant illa Reip. calamitoſa tempora, qvibus ſacro ordini poteſtas civilis alicubi adſcripta & paſtorale pedum ſceptro gladioqve temporali junctum. Non diu poſt anno ſcilicet IↃCCXXXII. a Gregorio II. Bonifacius creatus eſt Archiepiſcopus, non tamen certa ſede attributa (id qvod non erat in manibus Papæ) ſed indefinitus, ac ut ipſe Serrarius nuncupat, ambulatorius.

Poſtea tamen (anno forte IↃCCXLV.) factus eſt Archiepiſcopus Moguntinus; non Papali beneficio; ſed CAROLOMANNI ac PIPINI fratrum, Caroli Martelli filiorum auctoritate. Othlo Presbyter lib. I. cap. XLV. *Gewilieb* (hic erat Epiſcopus homicidii a Bonifacio accuſatus) *depoſito, ſtatim S. Bonifacius a ſupradictis Principibus, Carlomanno videlicet & Pipino, fratre ejus, Eccleſia Mogonciacenſi præficitur: & ut ejus dignitas eminentior foret, decreverunt iidem Principes, Eccleſiam Mogonciacenſem, quæ prius alteri* (*Wormacienſi*: qvod expreſſit Variloqvus MS.) *ſubjecta erat, metropolim omnium in Germania poſitarum Eccleſiarum efficere.* Attamen Papalem confirmationem (qvæ jam invaluerat ſuperſtitio) acceſſiſſe, non nego, & indicant Othlonis verba: *Moxqve legatione facta, illud a Præſule Apoſtolico impetravere.* Bonifacium hunc Archiepiſcopum Erfurti novum Epiſcopatum condidiſſe patet ex Bonifacii ad Zachariam Pontificem Epiſtola, qvam ſervavit Othlo lib. II. cap. II. & Zachariæ reſponſoria apud eundem Othlonem cap. III. Ille ſic ſcribit: *Unam eſſe ſedem Epiſcopatus decrevimus in caſtello, qvod dicitur Wirziburg, & alteram in oppido, qvod nominatur Buraburg, tertiam in loco,*

qvi dicitur ERPHESFVRT, *qvi fuit jam olim urbs paganorum ruſticorum.* Hic de hoc capite ita reſpondet: *Statuimus per Apoſtolicam auctoritatem Epiſcopales illic eſſe ſedes, qvæ per ſucceſſionem Epiſcopos mereantur, & populis præſint: atqve verbum prædicationis ſubjectis inſinuent: id eſt, in caſtello qvod dicitur Wirtzeburg, & alteram in oppido qvod nominatur Buraburg, tertiam in loco, qvi dicitur* ERPHESFVRT.

Qvis aut qvalis ille locus *Buraburgum*, nondum certo arbitror conſtare: qvamvis laudem mereatur Serrarii induſtria, non parum hac de re ſollicita *Notat. XXIX.* ad vitam Bonifacii in *Hiſtoria Moguntiaca.* Ceterum Epiſcopatus ille Erfurtenſis aut plene planeqve non fuit conſtitutus, aut certe exſpiravit brevi. Ex Siffrido Miſnenſi Presbytero apparet, Bonifacium revocaſſe priſtinum decretum. *Eccleſiam qvoqve beatæ virginis in Erfordia,* inqvit, *cathedralem eſſe conſtituerat, ſed ſvaſu literarum papalium, qvod decreverat, revocavit.* Sic enim legendum cenſeo pro *renovavit*; qvod habet Piſtoriana editio. Serrarius primum eundemqve ultimum Erfurtenſem Epiſcopum facit ADELARIVM: de qvo mallem plura vel ipſe vel Gudenus attuliſſet. In *Variloqvio meo* ne γρῦ apparet.

CAROLOMANNVS hactenus Thuringiam ſuprema poteſtate rexerat. Qvandoqvidem enim cum fratre Pipino *ſub obtentu Majordomatus* (uti loqvitur Annalium Fuldenſium auctor ad ann. IↃCCXLI.) *totius Franciæ regnum diviſerat*, præter Auſtriam, & Alemaniam eidem ceſſit etiam *Thuringia*; Pipino Burgundiam, Neuſtriam, Provinciam ſortito: cujus diviſionis, qvam in annum IↃCCXLIII. refert, Otto Friſingenſis Epiſcopus meminit *Chronic. lib. V. cap. XX.*

At vero poſtqvam Carolomannus anno IↃCCXLVI. monaſticum habitum aſſumens in Caſſinenſe monaſterium ſeceſſit, Thuringiæ qvoqve, ut ceterarum provinciarum, Do-

minus

minus factus eſt PIPINVS, annoqve ſeqventi *cum exercitu Francorum per Toringiam profectus contra fratris* (Grifonis) *dolos Saxoniam ingreſſus eſt*: ceu memorant Annales Eginharti, & Fuldenſes ad annum IↃCCXLVIII. Anno IↃCCLI. Pipinus exauctorato & in monachum tonſo Childerico Rege, titulum qvoqve regium, qvi eo usqve defuerat potentiæ, indeptus, anno IↃCCLXVIII. vivere deſiit, relictis filiis Carolo & Carolomanno. Et hoc quidem anno IↃCCLXXI. exſtincto, CAROLVS, Magni nomen commeritus Francici Imperii habenas ſolus temperare cœpit. Sub ejusdem regimine anno IↃCCLXXXII. contigit Soraborum Slavorum in Thuringicos fines irruptio Eginharto in Annalibus recenſita. Anno IↃCCLXXXIV. eodem Eginharto teſte, Carolus *iter in Toringiam convertit, & filium ſuum Carolum cum parte exercitus in Weſtfalaorum finibus ſedere juſſit. Ipſe per Thoringiam iter agens, venit in campeſtria Saxoniæ, quæ Albiæ atqve Salæ fluminibus adjacent.* Anno IↃCCLXXXVII. Thuringi milites Carolo Thaſſilonem Bojoariæ Ducem ad officium compellenti præſto fuere: uti Regino Prumienſis auctor eſt: ac iterum anno IↃCCXCI. in expeditione contra Hunnos Carolo militarunt: affirmante Annalium Fuldenſium ſcriptore. Anno IↃCCXCIV. (qvod Regino annotavit) Carolus Saxoniam per Thuringiam ingreſſus eſt.

Seculi noni anno qvarto decimo Carol. Magnus deceſſit Aqvisgrani: cui in regno Francorum ac dignitate Imperatoria ſucceſſit LVDOVICVS PIVS. Magnum tamen eo regnante Thuringici ſtatus in Francorum ſcriptoribus ſilentium. Nam qvod anno IↃCCCXXII. *in regione Thuringorum ceſpis longitudine pedum qvinqvagenum, latitudine qvatuordenum, altitudine ſesqvipedali de terra ſine manibus & præciſus & ſublatus; & ab eo loco, in quo ſumtus eſt XXV. pedum ſpatio diſtans inventus*: neſcio an tanti ponderis, ut certa-

tum

tim enarrarent Eginharti & Fuldenſes Annales. Anno ıↄcccxl, Ludovicus Imperator *collecto exercitu filium*(Ludovicum, partem regni transRhenanam qvaſi jure ſibi debitam affectantem) *per Turingiam usqve ad terminos Barbarorum perſeqvitur, excluſumqve a finibus regni per Sclavorum terram cum magno labore Bajoariam redire compellit:* qvemadmodum iſta refert Annalium Fuldenſium non contemnendus collector, & tangit ad ſeqventem annum Eginhartus. Sed is ipſe, aut qvi ſeqvebatur, annus Ludovico Imperatori emortualis eſt.

Hujus triga filiorum LOTHARIVS LVDOVICVS & CAROLVS cum acerbiſſimis odiis ac horrendis inter ſe decertarent præliis, ut cætera qvoqve Franciccæ ditionis, ita Thuringiam qvoqve non parum detrimenti cepiſſe, vero conſonum eſt. Interim qvia tandem Imperium Francorum inter ſe diviſere, ac LVDOVICO univerſa Germania ad Rhenum usqve attributa, Thuringiam qvoqve eidem ceſſiſſe extra controverſiam ponitur. Prius tamen qvam ad illam veniretur compoſitionem, jam Ludovicus *Orientales Francos, Alamannos, Saxones & Thuringios ſibi fidelitatis jure confirmavit:* qvæ verba ſunt toties laudati Annalium Fuldenſium auctoris.

Atqve hic eſt LVDOVICVS ille Rex Germaniæ, ſi nomen reſpicias, primus, ſi poteſtatem regiam, qvam Carolus ille Magnus primo exercuit, tertius. Ejusdem qvia moderatum fuit regimen, Thuringos qvoqve ſub eodem tolerabili conditione uſos exiſtimo. Singularia tamen in veterum monumentis reperio pauciſſima: & nunc præter illam Thuringorum in *Slavos Marabenſes*, hoc eſt (ut eqvidem exiſtimo) *Moravos*, juſſu Regis ſui Ludovici factam expeditionem, qvam Annales Fuldenſes ad ann. ıↄccclxxıı. tangunt, nihil habeo memorare.

Refe-

Referenda tamen in hæc tempora, qvæ Erfurti habita Synodus anno ɪↄcccʟɪɪ. nec adſcribenda Ludovico Cæſari, qvalis tum qvidem eo nomine erat nemo. Nam Ludovicus Pius, ut antea monuimus, an. ɪↄcccxʟ. aut ſeqventi deceſſerat, eundemqve exceperat Lotharius. Falluntur ergo Erfurtenſes ſcriptores, & cum iis qvoqve Cl. Gudenus: qvi niſi ad marginem pag. xvɪ. notaſſet: *Ludovicus Pius Erfurti Comitia celebrat*, crederem de Ludovico Germanico intellexiſſe. Annales Fuldenſes, qvos alioqvin recte laudat, non ad an. ɪↄcccʟ. ſed ad annum abhinc ſecundum referunt: quamvis id malim librario, Cl. qvam Auctori adſcribere.

Anno ɪↄcccʟxxvɪ. Ludovicus, poſtqvam per ſeptem luſtra regno Germaniæ ſumma cum laude præfuerat, in palatio Francofurtenſi obiit. Hinc inter tres filios Carolomannvm, Lvdovicvm & Carolvm Parentis Germaniæ regnum ita diviſum, ut tria regna paris per omnia dignitatis, & qvorum alteri in alterum nihil eſſet juris, reſultarent. Diviſionem illam alibi inculco: hoc loco ſuffecerit monuiſſe, Lvdovici regno cum ceteris provinciis tum adſcriptam Thuringiam. Si Marianus Scotus nos non fallit, hæc ipſa diviſio Salfeldii inſtituta. Sic enim reperio ad ann. ɪↄcccʟxxv, *Deinde tres fratres in loco, qui dicitur* Salefelt, *inter ſe regnum paternum diviſerunt. --- Ludovicus Orientalem Franciam, Turingiam, Saxoniam & Phryſiam, & partem Lotharii regni tenuit,*

Hujus Ludovici tempeſtate magnum in Thuringia nomen habuit Poppo Comes & Dux Sorabici limitis: cujus virtus & felicitas in bello contra Slavos Thuringiæ infeſtos ſingulariter eminuit. Annales Fuldenſes ad ann. ɪↄcccʟxxx. *Sclavi qvi vocantur Dalmatii, & Bebemi, atque Sorabi, cæteriqve circumcirca vicini audientes ſtragem Saxonum*

num a Normannis factam (de hac in Hiſtoria Bardevvicenſi cap. IV. §. IX. egimus) *pariter conglobati, Thuringos invadere nituntur, & in Sclavis circa Salam fluvium Thuringis fidelibus prædas & incendia exercent. Qvibus Poppo Comes & Dux Sorabici limitis occurrit, & divino auxilio fretus eos proſtravit, ut nullus de tanta multitudine remaneret.* Qvis ille fuerit Sorabicus limes, jamdiu laboravi. Enatæ quidem ſunt conjecturæ aliquot: qvas, ſi Deo viſum, alii operæ ſervo. Idem tamen Poppo (ut anceps belli alea) in alio cum Saxonibus inteſtino bello inſigni clade affectus eſt. Iidem Ann. ad ann. IↃCCCLXXXII. *Civile bellum inter Saxones & Thuringos exoritur, machinantibus Poppone, fratre Heimrichi, & Eginone Comitibus. Magna poſt clade Poppo cum Thuringis inferior exſtitit.* Nec melior ſequenti anno fortuna, teſtibus his Annalibus: *Iterum inter Popponem & Egnionem diſcordia cum crudeli bello concrepat: qvorum Poppo, prout antea ſolebat, inferior exſtitit.* Poſt mortem autem Ludovici Regis, ſub CAROLO CRASSO (hic opimam fratrum hæreditatem patrimonio ſuo, ac regnum illud Germanicum, qvale Ludovicus Pater habuerat; in unum iterũ conjunxit corpus ac porro Imperatoriam dignitatem impetravit) ejusque ſucceſſore ARNVLPHO, Popponis illius potentia & auctoritas crevit in Thuringia; ut jam non amplius *Comes*, nec cum additamento *limitis Sorabici*, ſed ſimpliciter *Dux Thuringorum* eſſet & audiret. Memorabile hanc in rem exſtat teſtimonium apud Reginonem ad an. IↃCCCLXXXIX. qvod integrum adſcribo: *His etiam diebus Luidpertus Maguntiæ urbis præſul e rebus humanis ſublatus eſt: in cujus loco ſubrogatus eſt Sunzo, vir religioſus ac ſimplex, ſacris literis ſufficienter inſtructus, qui in Fulda monaſterio ſub regimine Abbatis ab ineunte ætate nutritus & converſatus eſt,* Poppone Thuringorum *Duce & Arnolpho Rege annuente.* Et aliud ad ann.

IↃCCCXCII.

IↄCCCXCII. *Per id tempus Arnt, Wirtzburgenſis Eccleſiæ venerabilis Epiſcopus, hortatu & ſuaſione* Popponis Thuringorum Ducis, *ad pugnam contra Sclavos profectus, in eadem pugna occiditur.* Qvod autem nimis forte abuſus Ducali poteſtate, aut alias contra Regem Arnulphum res novas moliretur, eodem annó ſecundo & nonageſimo ſupra nongenteſimum *Poppo Dux Thuringorum dignitatibus expoliatur:* qvæ ipſa ſunt Reginonis verba: quibus cum concinit Annalium Fuld. Auctor ſequentibus verbis: *Poppo Dux Thuringorum honoribus privatus eſt.*

In locum Popponis ſuffectus eſt CONRADUS; & qvod is ſponte Ducatum Thuringicum reſignaret, commiſſus eſt BVRCHARDO Comiti. Regino: *Ducatus, qvem tenuerat* (Poppo) *Cunrado commendatur, qvem pauco tempore tenuit, & ſua ſponte eum reddidit. Deinde Burchardo Comiti committitur, qvi eum hactenus ſtrenue gubernat.* Burchardo rerum potito Vngari Thuringiam infeſtis ſignis petebant. Hos quando vi repellere conaretur Burchardus, ab eisdem occiſus eſt; id qvod affirmant Lambertus Schafnab. ad ann. IↄCCCCIX. Marianus Scotus ad ann. IↄCCCCVIII. Chronica Auſtralis ad ann. IↄCCCCXI. Siffridus Miſnenſis *ſub Arnulpho Imp.* Auctor compilationis Chronolog. *Tom. I. Rer. Germanic. Piſtorii.* Ante Burchardum qvidem a Lamberto ponitur alius Dux Thuringorum, qvem LVITBOLDVM vocans etiam ab Vngaris occiſum tradit anno Iↄccccviii. Sed qvis ille ſit *Luitboldus*, nondum habeo exploratum. Hermannus Contractus hac tempeſtate *Luidpaldum occiſum* tradit, & nihil amplius. Marianus Scotus *Lupoldum Ducem ab Vngaris occiſum* refert; & nihil præterea. Chronica Auſtralis: *Vngari Saxoniam & Thuringiam vaſtant, Leupoldus occiditur.* Hæc ſcripſeram, cum Ottonis Friſingenſis Chronicon pervolutatis lib. VI. c. XV. reperio,

rio,Leopoldum hunc Bojariæ Ducem, Arnulphi fuiſſe Patrem. *Non multo poſt,*ait,*Vngari commiſſo cum Bajoariis bello,Ducem eorum Leopoldum,Arnolfi Ducis Patrem occidunt, ac inde per totum regnum diffuſi Alemanniam,Franciam,Saxoniam,Thuringiam percurrunt.*

At qvid faciemus Auctori de Landgraviis Thuringiæ, qvi cap.VIII. LUDOVICUM qvendam primum Thuringiæ Ducem a Carolo III.(Craſſo) anno IↃCCCLXXVI. creatum tradit? Eqvidem neſcio qvid ſenſerint alii: mihi vel id propter ſuſpecta hæc redduntur, qvod *Popponem* toties a Reginone memoratum,& Francorum Annalibus non ignotum cum *Conrado* ſucceſſore omittat. Nec prius etiam Burchardum pro Ludovici filio venditanti habebo fidem, qvam vetuſtiores reperero conſentientes. Recitabo tamen verba hominis: *Mortuo Ludovico ſecundo Duce Thuringorum,ſucceſſit ei Burchardus filius ſuus, ſub cujus regimine Vngari Alemaniam intrantes, ut eam devaſtarent. Quibus occurrerunt Duces Saxoniæ, Bavariæ, Sveviæ, & Dux Thuringiæ: & commiſſum eſt bellum,& multa millia Vngarorum occiſa ſunt: & Dux Thuringorum tertius percuſſus interiit ſine hæredibus, an. Domini IↃCCCCLXXII.* Si ille numerus in MS fuit,ac porro ab Auctore ipſo expreſſus, ingens emerſerit ἀναχρονισμός. Vidimus ex Lamberto & Mariano Scoto Burchardum Ducem decimi ſeculi anno octavo vel nono in conflictu Vngarico occubuiſſe:hic lepidus tamen homo refert in annum hujus ſeculi ſecundum & ſeptuageſimum,h.eſt, in annorum trium ultra ſexaginta exceſſum, qvo jam prope computruerant oſſa Burchardina:cumqve & Henricus I.qvem ſucceſſorem deſtinat Burchardo,conceſſerat fatis,iisdemqve Otto I. erat proximus: qvippe qvem anno IↃCCCCLXXIII.vita functum novimus. Jam illud qvoqve vero non eſt conſonum, qvod idem tradit Auctor, a Burchardi obitu *Ducatum*

Thu-

Digitized by Google

Thuringiæ devolutum ad Henricum Ducem Saxoniæ, tunc Imperatorem.

Id ut pateat clarius, pro certo hic ponendum fundamento, Duces illos, qvos hactenus contemplati ſumus, Thuringicos non propria ac abſoluta poteſtate, ſed vicaria, ſub ſummo ac eminenti Regum Germaniæ dominio Thuringiæ præfuiſſe. Qvandoqvidem autem Burchardus circa annum nonum ſeculi decimi ſublatus, credibile eſt Ludovicum Tertium, ſive, ut ab aliis vocatur Qvartum, aut Thuringiæ alium præfeciſſe Ducem, aut Thuringicarum rerum præcipuam adminiſtrationem uni vel pluribus Comitibus commiſiſſe.

Poſtqvam Ludovicus ille anno IↃCCCCXI. Ratisbonæ mortalia reliqvit, ac OTTO Dux Saxoniæ, Henrici Aucupis Pater, magno animo majori laude, recuſans regnum Germaniæ, CONRADVM Franciæ Orientalis Ducem, ſui loco commendaret, fieri forte potuiſſet, qvi ultra illud in Thuringos Trans-Vnſtruthanos imperium, qvod tanqvam Saxoniæ Duci jure ipſi competebat, nonnihil juris in Thuringos cis Vnſtruthum, ſive ita volente, ſive connivente Conrado Rege, accepiſſet: præſertim qvia Witichindus Annal. lib. I *teſtatur, penes Ottonem ſemper & ubiqve ſummum viguiſſe imperium.* Et hæc conjectura vel eo confirmari poſſet, qvod apud eundem Witichindum reperiam, Conradum, cum *ſæpe expertus eſſet virtutem novi Ducis,* Henrici (qvi Patri in Ducatu Saxoniæ anno IↃCCCCXII. ſucceſſit) *veritum eſſe ei tradere omnem poteſtatem Patris.* Neqve his tamen plus qvam conjecturis tribuendum cenſeo: cum præſertim Conringius affirmet HENRICVM Aucupem non niſi ob Thuringiam Trans-Vnſtruthanam (ſic loqvor ex ſitu oppidi noſtri: cum alioqvin qvæ nobis cis-Vnſtruthum, Conringio Helmſtadii ſcribenti trans Vnſtruthum ſit) in iſtius

ævi monumentis legi, Henricum illum Saxonibus & Thuringis imperaſſe. Certe Sigebertus ad ann. ɪↄcccccxɪv. *Henricum Ducem de Saxonia & Thuringia* vocat. Si tamen prius Rex Germaniæ qvam renunciaretur Henricus, in Thuringia Cis-Vnſtruthana qvædam poſſedit, aut integram cum tempore ſibi vindicavit, armorum id factum reor beneficio. Nam *qvidqvid ad* Hattonem *Epiſcopum* Moguntinum *in Saxonia vel Thuringia pertinuit, totum ſibi præcepit occupari: amicos Regis* (Conradi) *partibus ex his omnino deprædatos expellens*: qvæ verba ſunt Ditmari Epiſcopi Merſp. *lib. I. Chronic.* & jam ante ipſum gemina prodiderat Witichindus Corbejenſis, Henricum ſcilicet *Hattoni Archiepiſcopo abſtuliſſe omnia, qvæ in Saxonia vel Thuringia habuerit.* Et id meruerat ſacer ille, notæqve perfidiæ homo, qvi Henricum (ut caderet honoratius ſcilicet) in torq; aureo ad eum finem fabricato de medio tollere laboraverat. Vivente adhuc Conrado Rege, anno ɪↄccccxvɪ. contigit novus ille Vngarorum in Thuringiam & Saxoniam impetus: ac tum qvidem, teſte continuatore Reginonis, *usqve ad Fuldam monaſterium pervenerunt.* Sed HENRICVS noſter, poſtqvam ab exceſſu Conradi, qvem anno ɪↄccccxɪx. obiiſſe legimus, *conſenſu Francorum, Alemannorum, Bavarorum, Thuringorum & Saxonum* (utor laudati ſcriptoris, qvi Reginonem continuavit, ſermone) at magis prudenti conſilio ipſius Anteceſſoris, Rex Germaniæ electus eſſet, Vngarorum incurſus omni diligentia avertere ac coërcere laboravit, per oppida cum noviter exſtructa, tum exqviſitius munita. Jam etſi in præſenti nõ habeo commemorare, qvid ſigillatim in munienda Thuringia cis-Vnſtruthana præſtiterit Henricus; dubium tamen relinqvitur mihi nullum, qvin & illa optimi Patriæ Patris & vere Theſei Germanici providam ſenſerit ſolertiam.

Anno ɪↄccccxxxvɪ. Henrico I. Germaniæ Rege ad

cœle-

cœleſtia evocato, qvia tam in hæreditate paterna, qvam in univerſó Germaniæ regno ſucceſſit OTTO I. eó ipſo Thuringiæ qvoqve cis-Vnſtruthanæ factus eſt Dominus, & forteau hæreditarius.

Sub hoc Principe inſignem ſtatus Thuringici mutationem accidiſſe memorant recentes. Ferunt nimirum, Ottonem filio ſuo WILHELMO Moguntino Archiepiſcopo Thuringiam cum pleno jure & dominio donaſſe. Auctorem hujus aſſertionis ſi qværas, Scriptor ille anonymus de Landgraviis Thuringiæ afferretur, cujus caput X. hac rubrica ſuperbit: *Qvomodo Ducatus Thuringiæ devolutus fuit ad Epiſcopos Moguntinenſes, & qvamdiu Epiſcopi rexerunt Thuringiam.* Neqve tamen nigro ſic ſatis convenit cum rubro. Dum enim exponi debuiſſet illa devolutio, nihil huc faciens affertur magis, qvam Wilhelmum ab Ottone Patre *factum Archiepiſcopum Moguntinum: Qvo facto* Wilhelmum *Thuringiam intraſſe, & in Erfordia multos nobiles pro defenſione terræ locaſſe, qvibus multa bona in Thuringia largitus ſit:* Ipſum deinde & ſeqventes *Archiepiſcopos ſucceſſive rexiſſe Thuringiam & Haſſiam, annis fere LXX. usqve ad Conradum II. Imp.* Nihil autem hic de modo devolutionis, qvem vocat, ad Epiſcopos Moguntinos. Nam qvod de nobilibus Erfordiæ ad defenſionem terræ locatis affert, ad ſummam rei parum facit. Qvaſi vero id non fieri potuiſſet ab aliis, qvam a Principe? cum illo ævo in uſu fuerit freqventi Epiſcopis & Abbatibus plurimas familias nobiles feudali ſibi jure devincire. Ceterum aut me fallunt omnia, aut hæc conficta ſunt ex vera de Henrico I. hiſtoria; qvem conſtat ex agris in oppida coegiſſe ruricolas. Qvid autem vetat, qvo minus & nobiles qvosdam ex manſione agreſti in urbem translatos dixeris?

Si ergo hic Anonymus non ſuffecerit, ſuccenturiabit aliqvis

aliqvis Paulum Langium Citizenſis Chronici non indiligentem Scriptorem. Qvid ab hoc dici potuiſſet clarius ſeqventibus verbis? *Hic eſt ille Gvilbelmus Archiepiſcopus Moguntinus, cui pater Otto dedit Thuringiam & Haſsiam cum pleno jure & dominio.* Fateor, habere ita Langium: ſed, qvomodo id evincere velit, ſcire vehementer cuperem. Nam licet doctrinam & diligentiam Langii, ac judicium qvoqve plerumqve rectum æſtimem; in tanta tamen tamqve magni re momenti, niſi antiqviores habuerimus conſentientes, ejus fide unice niti intutum. Sed qvid? Ipſi Langio diſplicet hæc Langii ſententia, & inferius non niſi *jurisdictionem ſpiritualem & fortasſis etiam ad aliqvanta temporalia bona* Moguntinis in Erfordia tribuit. Verba Scriptoris merentur huc transſcribi. *Otto Magnus ex Adelheide uxore ſua ſecunda duos ſuscepit liberos, Ottonem regni ſucceſſorem & Wilbelmum Archiepiſcopum Moguntinum. Hic eſt Wilbelmus ille, cui Pater Otto poſt mortem Ducis Burgbardi, qvi ab Hungaris interfectus, ſine liberis obierat, dedit totam Thuringiam & Haſsiam, cum pleno jure & dominio ad honorem Dei & S. Martini Moguntinenſis Eccleſiæ Patroni. Qvi intrans dictas terras in poſſeſſionem ſuscepit, & Erphordiam tunc apertam muro cinxit. Hoc mihi videtur verum, qvantum ad jurisdictionem ſpiritualem, & fortasſis etiam ad aliqvanta temporalia bona. Nam ipſa Haſsia ab illo tempore usqve in præſens tempus ſemper habuit in temporalibus Dominum, qvi ſe bujus terræ Principem & Landgravium Haſsiæ ſcripſit.*

Nunc ad cenſuram vocabimus Langiana illa. Wilhelmum Archiepiſcopum ex Adelheide genitum, non magis verum eſt, qvam qvod Baronius Cardinalis Tom. X. Annal. ad ann. IↃCCCCLXXIII. *Edmundi Regis Anglorum filiam* Caſpar Bruſchius & Petrus Merſæus in *Catalogis Archiepiſcoporum Moguntinorum*, Serrarius in *Hiſtoria Moguntina* & Gudenus

in

in *Hiſtoria Erfurtenſi* eum faciant Edithæ Anglicanæ filium. Rectiora nos docebit Witichindus, qvi *matrem Wilhelmi peregrinam, nobili tamen genere procreatam*; & Ditmarus, qvi Præſulem *de matre qvamvis captiva, tamen nobili & Slavonia Regi genitum* tradunt. Deinde nec poſt mortem Burchardi Ducatum accepiſſe potuit Wilhelmus, qvod ei circa ſeculi decimi initium cæſo ab Vngaris alius procul dubio datus ſucceſſor, hactenus licet in illa ſcriptorum penuria ignotus: niſi forte Ducis poteſtas & auctoritas in plures Comites diviſa, aut uni præ ceteris commiſſa, qvas conjecturas uti jam ante propoſui, ita nunc repeto denuo, ut aliis amplius cogitandi anſam ſubminiſtrem. Qvis enim credat Thuringiam a tanto temporis intervallo caruiſſe rectore ſpeciali, aut eam ſolam manu Regum aut Saxonicorum Ducum (ſi qvis forte hanc probaverit opinionem) adminiſtratam. Proximus igitur Burchardi ſucceſſor Wilhelmus eſſe non potuit, etiamſi maxime conceſſeris Wilhelmo datam a Patre Thuringiam. At vero eqvidem, non contendendi ſtudio, (qvod ſancte teſtor) ſed hiſtoricæ veritatis vi adductus, neqvaqvam poſſum concedere donationi Ottonianæ. An enim ulli probabile fuerit, rem tantam tacuiſſe, vel Witichindum, qvi ſcribebat eo ævo; vel Ditmarum, qvi non multo poſt Ottone III. & Henrico II. imperantibus floruit; vel Scriptores ad unum omnes usqve ad Auctorem proletarium *de Thuringiæ Landgraviis*? Witechindus qvidem lib. III. affirmat, Wilhelmum per abſentiam Patris *ſibi commendatum rexiſſe Francorum imperium*: non affirmat tamen, Ottonem Patrem magnam regni Francici partem, Thuringiam ſcilicet & Haſſiam cum pleno jure & dominio donaſſe filio. Ecce ipſa Witichindi: *Eo tempore, qvo hæc intra Italiam gerebantur* (anno ſcilicet ꟾↃCCCCLXVIII.) *ſummus Pontifex Wilhelmus, vir ſapiens & prudens, pius & cunctis affabilis, a*

Patre ſibi commendatum regebat Francorum imperium, cujus mater licet peregrina, nobili tamen genere erat procreata. Sed aliud eſt abſente Rege negocia regni vicaria auctoritate adminiſtrare; aliud dono accipere bonam regni partem cum pleno jure & dominio. Sic de Mathilda Qvidelingeburgenſi Abbatiſſa Ottonis I. filia legimus, Ottone III. *in Italia commorante* eidem *regni Germanici curam* fuiſſe commiſſam. Qvi autem exinde concludere auſit, partem hujus regni eo ipſo donatam Mathildæ, concluſione ſua non admitteretur. Ditmarus qvoqve ignorat hanc donationem: qvamqvam Wilhelmo *ab Imperatore Domino ſuimet & Parente commiſſam* tradat *curam Parthenopolin diſponendo, ceteraqve regni neceſſaria regendi.* Et apud ſeqventes nec vola hac de re, nec ullum veſtigium. Faceſſat igitur ignotæ, nonnunqvam & malæ fidei auctor de Landgraviis cum ſua Thuringiæ ad Moguntinos devolutione. Faceſſat ipſa liberalis, qvæ nunqvam contigit, donatio. Hæc miror, qvi placere potuerit Cl. Gudeno, ultra hunc Anonymum, Langium, Fabricium, Chytræum in hac cauſa non aſſurgenti. Fabricio tanto minus habeo fidei, qvanto intimius mihi conſtat, innumeris erroribus ſcatere *Origines Saxonicas*; qvod non in contumeliam optimi ac eruditi viri ſcribo; ſed qvod doleam ſupra illa, qvæ habebat, non majora fuiſſe præſidia, nec plus ab aliis curis ocii. Cum Langio autem tanta mihi lis non amplius nunc intercedit, qvod, ut jam ante monebam, ſententiam mutans pro *pleno jure & dominio* totius Thuringiæ ſubſtituat *ſpiritualem jurisdictionem, & ad aliqvanta bona temporalia:* qvamvis nec in ſpiritualibus per univerſam Thuringiam Moguntinis fuiſſe jurisdictionem crediderim. Qvod Erphordia eo usqve deſtituta Wilhelmi Archiepiſcopi juſſu, mœnibus incincta, facilius crederem, ſi antiqvus teſtis confirmaret. Ego vero id Henrici I. temporibus

ribus factum potius autumo, cujus in urbibus contra Vngarorum incurſiones muniendis ſtudium certatim prædicant Hiſtorici; & nos jam ſupra tetigimus, pluribus autem in *Hiſtoria Bardevvicenſi* demonſtravimus. Qvamobrem etiam, quæ Gudenus hic de ſtatu Erfurtenſi affert, rectius, me judice, ad tempora Henriciana qvadrabunt.

Ceterum ſi qværas, qvinam poſt tempora Ottonis Magni usque ad inſtitutum Thuringiæ Landgraviatum legitimi Thuringorum fuerint Principes, tum ipſos Germaniæ Reges, jure patrimoniali & hæreditario, tum alios Ducum, Marchionum, Comitum titulo inſignitos reſponderim. Ottonum jus patrimoniale & hæreditarium derivare poſſimus ab occupatione bellica tempore Henrici I. qvi non modo, qvas Moguntinus habuit, poſſeſſiones, occupavit; *ſed alios qvoqve amicos* Conradi *Regis ex his partibus omnino deprædatos expulit:* ut iterum Ditmari verba uſurpemus. Qvid & qvantum Moguntinis redditum, nondum memini me legere; cum tempore tamen ſua recepiſſe, par eſt credere. An vero & alii Conradi Regis amici, illorumve ſoboles dignitatibus bonisve reſtituti, non habeo dicere. Si qvis hic conjecturæ locus, uti nec crimina, ita nec pœnas per omnia exiſtimaverim ſimilia: & nonnulli forte clementiſſimorum Regum ſunt redditi gratiæ. Fortaſſis tamen & qvorundam Franconici ſangvinis illuſtrium virorum loco Saxonici ſtemmatis nobiles viri poſſeſſiones & dignitates in Thuringia acceperunt; aucti indies majoribus divitiis & potentia, at Regum favore & gratia ſubnixa. Signanter autem dixi, & DVCES qvoqve inter Principes Thuringiæ viros fuiſſe. Scilicet non ita plane ceu putant novitii, cum Burchardo exſpiravit Thuringiæ Ducatus, ut non aliqua ejus ſuperent veſtigia. Paulo ante monui, incommodum videri, Thuringiam ſine vicaria Ducis Comitumqve opera

poſt obitum Burchardi relinqvere. Qvamvis vero perpetuam Ducum Comitumqve ſucceſſionem ex horum temporum tenebris feliciter erueie non detur; ſuffecerit tamen unum attuliſſe Principem, *qvi ſuper omnem Thuringiam Ducatum* promeruerit.

Eſt is ECCARDUS noſter, Guntheri filius, *ex nobiliſſimis Turingiæ auſtralis natalibus genealogiæ ortum ducens*: ut loquitur Ditmarus. Atqve huic etiam Ditmaro debemus reſtitutum hunc Thuringiæ Ducatum. Sic enim ſcribit lib.V. *Super omnem Thuringiam communi totius populi electione Ducatum promeruit.* Suſpecta alicui videri poſſet hæc narratio, qvod electio alicujus Ducis in regno Germanico, nec illis temporibus ſoli populo, ſed Regi deberetur. Vnde & Chriſtophorus Gevvoldus Commentario *de Romani Imperii Septemviratu cap. VII* §. *XVII.* ſcribere non dubitat: *Quis ignorat, non populi electione, ſed Imperatorum conceſſione in feudum Ducatus & Principatus acquiri?* Improprie ſcilicet & hic & alibi Gevvoldus loqvi Ditmarum, ac eligi idem eſſe autumat, *ac jure hæreditariæ ſucceſſionis recipi.* Hoc qvanqvam de Electione Regis Germaniæ cum loquitur Ditmarus, forte aliquis probaret; an tamen huic loco par ſenſus applicari qveat, nondum extra controverſiam poſitum cenſeo. Vt enim hæc explicatio locum impetret, neceſſum eſt ſupponi, & eo jam ævo Thuringiæ Ducatum ad poſteros jure hæreditario transmiſiſſe viros Principes. Qvod ne credam, ipſe, de qvo agimus, Eccardus noſter facit, qvi ſingulari Ottonis III. (ad eum enim refero) id habuit favore, qvod, ut teſtis eſt Ditmarus, *maximam beneficii ſui partem in proprietatem acqviſiverit.* Qvamobrem Eccardum ab Ottone vel II. vel III. Thuringiæ Ducem conſtitutum arbitror: ſed ita tamen ut conſenſus ordinum (qvem Ditmarus forte *totius populi electionem* nuncupat,) more majorum

acceſ-

Digitized by Google

acceſſerit. Scilicet qvia in aliis Thuringi privilegiorum ac partæ libertatis fuere ſtudioſi, credibile eſt, & in eo pro Reip. emolumento excubaſſe, ne Dux a Regibus daretur, qvem ſuo improbarent calculo. Quamquam autem ad vitam ſaltim Thuringiæ Ducatum ſervavit Eccardus, procul dubio tamen Henrici II. beneficio Procerumque ac populi Thuringici conſenſu ad filiorum unum fuiſſet devolutus, niſi ambitione ſua ac rerum novarum cupidine, & ſibi exitium, & ſuis qvoqve haut levem calamitatem attraxiſſet.

Poſt occiſum Poledæ Eccardum nullum qvidem reperimus novum Thuringiæ Ducem: qvia tamen WILHELMVS Vinarienſis Comes, *Turingiorum tunc potentiſſimus* ſalutatur, credibile eſt auctoritate & potentia, Ducali non multum inferiori per Thuringiam eminuiſſe. Et forſan aliqvid reconditi ſub eo latet, qvod Ditmarus ſigillatim ſcribat VVilhelmum *Militem Regis effectum:* qvamvis non ignorem, communiter id *de præſtito homagio* accipi. Integer Ditmari locus ita habet: *Wilhelmus Thuringiorum tunc potentiſſimus, obviam pergens* (Henrico II.) *Dominumqve venientem cum magna gratulatione ſuſcipiens, miles Regis efficitur. Ibi tunc Rex a præfato Comite, & a primis illus regionis collaudatur in Dominum, & ab omni populo rogatus, debitum his remiſit cenſum.* Qvalis ille fuerit debitus Henrico *cenſus*, alibi, Deo favente, inqviremus. Qvod VVilhelmus Comes tanta Henrici II. gratia floruerit, non adeo mirum; qvandoqvidem Eccardi (qui æmulus novi Regis Henrici fuerat) injurias paſſus Vinariæ ſuæ obſidionem ab Hermanno filio Eccardi, ſed ab hujus cæde ſolutam ſuſtinuiſſet.

Succedunt tempora, qvibus CONRADVS Salicus ad regiam in Germania dignitatem evectus eſt. Atqve hæc

Digitized by Google

in rebus Thuringicis vel propterea ſunt obſervanda curatius, qvod iſtis in Thuringia inclytum habuerit nomen LVDOVICVS Comes, quem ob promiſſam barbam *Barbatum* vulgo vocant, glorioſus ille ſator Comitum Provincialium Thuringiæ. De hoc Ludovico Barbato multa habet Auctor *de Landgraviis Thuringiæ,* & ea longe copioſius Appendix MS. Poloni in Bibliotheca Academica: ſed qvibus tuto fidem non habere liceat. Sane diploma illud Conradi Imp. Ludovico conſangvineo ſuo anno CIↃXXXIX. datum & ab ipſo Anonymo hiſtoriæ inſertum facit, qvo minus credamus illa omnia, quæ ipſe narrat de Comitis hujus in Thuringiam adventu, de acceptis a ſede Moguntina beneficiis, multoque magis, quæ de Moguntino ab Imp. exorato & de cognatione cum Imperatrice, & alia id genus. Præterea idem diploma plane evertit creditum a nonnullis ſupremum Archiepiſcopi Moguntini poſt Imperatorem in Thuringia principatum. Nam is ſi fuiſſet, ſubditis non licuiſſet, puto, vendere terrarum & ſylvarum ſpatia ab omni poteſtate libera, ſolius Imperatoris voluntate & confirmatione pleniſſimo jure poſſidenda. Et fortaſſis non eſt de nihilo conjectura, Conrado II. ejusqve filio Henrico III. conſilium fuiſſe ſub Comitatus vocabulo Ludovico illi conſangvineo ſuo Thuringorum provinciam regendam committere. Firmat eam Suffridus Presbyter ad annum CIↃXL. ſic ſcribens: *Cum dudum Duces Turingorum defeciſſent, idem Ludovicus Barbatus ſuſcepit principatum dictæ terræ, quæ tunc per plures diſtracta & uſurpata, ceſſavit dici Ducatus. Sed usqve hodie Princeps præfatæ terræ non Dux, ſed Landgravius, quod latine ſonat, Comes Provincialis, appellatur.* Et poſt pauca: *Et ipſe & filii ejus & filii filiorum ſuper ſæpe dictam terram Turingiam, a tempore S. Henrici Imperatoris usqve ad tempora Imperatoris Friderici II. per ſex generatio-*

nerationes principantur. Attamen etſi tum plenum in Thuringiam dominium non acceperit Ludovicus I. non dubitaverim tamen, qvin filium manſiſſet hæc fortuna, modo non Friderici Saxoniæ Palatini Comitis cæde ab hujus perfida uxore incitatus, manus commaculaſſet, ac ob id ſemel atqve iterum cuſtodiæ fuiſſet mancipatus. De Fridericiano fato alias plura afferre decrevi, ac inprimis in Chronici Gozerenſis narrationem inqvirere, qvæ percuſſorem non ipſum Comitem Ludovicum, ſed Theodoricum & Vdalricum de Dedenleibe & Reinhardum de Rineſtide memorat.

Si tamen Ludovici non fuere, haut caruit Thuringia rectoribus ſuis: ſiquidem ſub Henrico IV. Imp. famoſus eſt VVILHELMUS Thuringorum Marchio, qui cum Eppone Citizenſi Epiſcopo in Vngariam ann. CIↃLXI. miſſus, ſequenti anno *reverſus in Thuringiam, dum redire in Vngariam, & ſponſam ſuam cum magna opum ſuarum oſtentatione adducere pararet, inter eundum ſecunda manſione morbo correptus obiit:* qvæ eſt narratio Lamberti Schafnaburgenſis: qui & mox OTTONEM *fratris Marchiam obtinuiſſe* ſcribit. *Sed is beneficia Moguntini Epiſcopatus aliter obtinere non potuit, niſi promitteret decimas ſe de ſuis in Thuringia poſſeſſionibus daturum, & ceteros Thuringos, ut idem facerent, coacturum: qvæ res multorum malorum ſeminarium fuit, deteſtantibus omnibus Thuringis factum ejus, & aſſerentibus, mori ſe malle, qvam patrum ſuorum legitima amittere.* Hæc omnia Lambertus. Marchiam Otto hic obtinuit; non profecto a Moguntino, ſed a Rege Germaniæ Henrico. Ab Archiepiſcopo tamen feuda qvædam recognovit. Et vero ſi tum univerſæ Thuringiæ Dominus fuiſſet Moguntinus Archiepiſcopus, non opus habuiſſet pactione extorquere, qvod jure Principis potuiſſet imperare. Qvantam vero potentiam exiſtimas fuiſſe huic Marchioni, in cujus manu fuit

Thu-

Digitized by Google

Thuringos ad dandas Præſuli Moguntino decimas adigere? Fuit profecto talis tantusqve Marchio, cujus mors univerſale Thuringorum excitaret gaudium. De qvo iterum Lambertus ad annum CIƆLXVII. *Otto Marchio Thuringorum obiit, gaudentibus admodum in morte ejus omnibus Thuringis, eo qvod ipſe primus ex Principibus Thuringorum (ut prædictum eſt) decimas ex ſuis in Thuringia poſſeſſionibus dare conſenſiſſet, & per hoc calamitatem maximam genti ſuæ invexiſſe videretur.* Eant nunc, qvi dicunt Thuringiam a temporibus Ottonis Magni usqve ad Landgraviorum creationem non niſi Archiepiſcopis Moguntinis paruiſſe. Marchiam Thuringicam poſt mortem Ottonis accepit EGBERTUS, Henrici IV. *Patruelis*, (uti vocat Lambertus) ſive ſobrinus potius. Giſela enim Conradi Salici uxor ex diverſis maritis, & Henrici IV. & Ludolphi, qvi Pater erat Egberto, communis avia fuit. Egbertus, qvi & Saxoniæ Marchio fuit, utraqve Marchia haut diu gaviſus; qvippe qvi deceſſerit anno CIƆLXVIII. dum turpe de repudianda uxore conſilium agitaret, relicto filio impubere ejusdem nominis, qvi Patri ſucceſſit. Lambertus: *Rex Natalem Domini Goslariæ, nec dum ſoſpitate ad plenum recuperata, celebravit, a qvo Egbertus Marchio exactis diebus feſtis digreſſus, dum ſe in ſua recepiſſet, modica febri pulſatus terminum vitæ accepit. Sed Marchiam adhuc vivens acqviſierat filio ſuo tenerrimæ ætatis infantulo, qvem ei vidua Ducis Ottonis de Swinenfurt pepererat; cui tamen ipſe paucis diebus anteqvam vita excederet, repudium ſcribere cogitaverat, & contra leges ac ſtatuta canonum viduam Ottonis Marchionis matrimonio ſibi jungere: qvod hæc forma elegantior, & efferatis moribus ſuis opportunior videretur: ſed mors opportune interveniens nefarios conatus ejus intercepit.* EGBERTI Junioris hiſtoria, utpote res Thuringicas non parum illuſtrans ſingularem

reqvi-

Digitized by Google

reqvirit operam, qvam occaſione ita ferente, eidem dedicare non pigrabimur. Eſt autem hic Egbertus ille, qvi anno CIƆXC. aut ſeqventi, in molendino Eiſenbüttel ab Henrici IV. (cui diu rebellaverat) militibus occiditur: qvam in rem copioſam teſtium manum ſect. II. §. IV. Hiſtoriæ Eccardinæ produximus. Poſt Egberti cædem HENRICVS IV. ut & filius HENRICVS V. Thuringiæ Marchionatum nulli forſan conceſſere: ſed rebellione & interitu illius vacantem ſibi ſervarunt: cum tamen ex reliqvis Egberti poſſeſſionibus alia aliis, & nominatim Lothario Supplinburgenſi Comiti Saxoniæ Marchionatus cum Ducatus titulo ab Henrico V. commendarentur.

Creviſſe interea Comitum a Ludovico illo Barbato deſcendentium nomen, dignitatem & potentiam valde eſt veriſimile. LVDOVICVM II. qvem *Saltatorem* vocant, caſtrum Wartpurg prope Iſenacum, caſtellum item Nuvvenburg, ut & oppidum Friburgum conſtruxiſſe, Appendix MS. Martini Poloni indicat. Hunc Ludovicum Henrici IV. partes primo ſecutum, diploma qvoddam anno CIƆLXXXVI. a Cæſare in Moguntinis comitiis adverſus Hermanni Anticæſaris conventum Qvedlinburgenſem celebratis impetratum arguit. Tandem vero ab Henrico defeciſſe, indicant literæ VValtrami Archi-Epiſcopi Magdeburgenſis a Dodechino S. Diſybodi (uti volunt) Abbate ad ann. CIƆXC. repetitæ, in qvibus *Sereniſſimi Principis* titulo ornatur. Tale enim eorum exordium: *Valtramus Dei gratia id qvod eſt, LVDOVICO Sereniſſimo Principi, cum inſtantia orationum, ſemet ipſum ad omnia devotiſſimum.* Ac in ipſa epiſtola *Glorioſiſſimum Principem* nuncupat. Aculeata, fateor, Ludovici reſponſoria eſt ab eodem Dodechino magnam partem ſervata: ſed is erat horum temporum ſtatus, ut Henricus Rex per Thuringiam & Saxoniam amicum

& fautorem pœne haberet neminem. Tum vero epiſtola non ab ipſo Ludovico, ſed Stephano Epiſcopo Halberſtadenſi nomine Ludovici ſcripta: qvem infenſiſſimum Henrico fuiſſe apparet. Rediiſſe tamen Ludovicum in gratiam cum Henrico Cæſare, hujus diploma erga Comitem ſatis benignum anno CIↃCIII. exhibitum declarat. Moguntinus tunc Archiepiſcopus erat Ruthardus, qvem Henrici Regis odio ſe ſubtrahentem in Thuringiam feceſiſſe complures Chronographi memorant. Hic, rogatu Ludovici Comitis, monaſterio Reinhartsbrunnenſi decimas remiſit; *qvas* (ut habent verba Archi-Epiſcopi) *Deo & nobis primitus recognoverat*. Vnde recte colligitur, ad Archi-Epiſcopum non niſi decimas illius tractus, minime autem ipſius terræ dominium pertinuiſſe. Ne qvis autem credat univerſæ Thuringiæ decimas tum in manibus fuiſſe Moguntiacenſium Archiepiſcoporum; ecce, ſub Adelberto Ruthardi ſucceſſore lites de iis novas, qvas niſi Præſulis prudentia abolito edicto compoſuiſſet, de ipſo Erfordiæ obſeſſo actum. Appendix MS. Martini Poloni: *Per idem tempus cum Adelbertus Maguntinenſis Archi-Epiſcopus a provincialibus ſuis in Eichsfeldia aliisqve decimas frugum exigerent, & illi fortiter reſiſterent; contigit propter hoc qvosdam a militibus Epiſcopi occidi, alios obtruncari, nonnullos etiam captivos abduci. Vnde populi Thuringorum atqve Haſſonum in colle Crutzeburgk & villa ibidem, qvod nunc caſtrum, tunc monaſterium fuit ordinis S. Benedicti, de cunctis ſuis finibus convenerunt, jam tunc villam Erphisfort, qva tum Epiſcopus in monte S. Petri manebat, cum XX. millibus aliisqve fataliciis irrumpere parant, captumqve perpetraſſent opere, ſi non idem Epiſcopus, ut erat vir naturali ingenio præditus, eos avertiſſet conſilio, & hoc edictum totum irritum feciſſet.* Conferatur Monachus Erphordienſis, cui *Additiones* ad *Lambertum* tribuuntur, an-

no

no CIↃCXXIII. Variloqvus meus ut in aliis, ita hic cum Monacho conveniens ejusdem exercitus Ducem facit HENRICVM Comitem, qvi Ludovici II. Saltatoris unus filiorum erat Ipſe autem Ludovicus anno CIↃCXXII. in monaſterio Reinhardsbrunn, a ſe condito & dotato ſupremum diem obiit: ubi hodie Epitaphium ſuperat.

Hujus filius LVDOVICVS III. Thuringorum Comes a Lothario II. ſive Ludero Germaniæ Rege, ſocero ſuo totius Thuringiæ Provincialis Comes ſive Landgravius, ac ſimul Princeps Imperii ſolenni pompa creatus ac renuntiatus eſt anno CIↃCXXX. Appendix Martini Poloni: *Lodewicus tercius Comes Thuringiæ filius Lodewici ſecundi duxit in uxorem filiam Lotharii Ducis Saxoniæ Imperatoris, ſucceſſoris Henrici Regis, nomine Hedwigis. Qui Imperator videns Ledewicum generum ſuum eſſe militem ſtrenuum & potentem in Thuringia & Haſſia, de conſilio Principum ipſum cum vexillorum feſtiva exhibitione, ut moris eſt, Imperatoria largitione ſolemniter extulit, & cum magno præconio ei nomen Principis impoſuit, & Landgravium Thuringiæ ab omnibus nominari fecit.* Geminis prope verbis Auctor ille de Landgraviis cap. XVIII. uſus. Alter de Landgraviis ſcriptor in opere Piſtoriano conciſe illa his deſcribit: *Ludovicus fundatoris* (cœnobii Reinhartsbrunn) *filius cum vexillorum feſtiva exhibitione imperatoria largitione primus Landgravius factus, accipiens uxorem Hedwig nomine.*

Primo igitur Ludovicus Landgravii elogio jus ſupremæ jurisdictionis per univerſam Thuringiam impetravit Deinde vero etiam reliqvorum Comitum ſorti exemtus in Principum dignitatem poteſtatemqve ritu ſolemni evectus eſt. De priori non eſt, qvod dubites; niſi forte jam tum primum Ludovicum id habuiſſe juris cum Generoſo Domino Johanne Wil-

helmo Neumeiero a Ramſla velis aſſerere. Is enim margini Auctoris de Landgraviis ſeqventia adſcripſit: *Vide Legendam S. Bonifacii* in einem grünen Buch *in qvarto*, ſo ich Herrn Friedrich Hortledern geliehen/darin das Landgericht in Thüringen beſchrieben/ deſſen dieſer Landgraff der Oberſte Richter geweſen. Factum autem non ſine ſingulari fortuna, & publici, ut opinor, boni commodo, qvod iſtum librum *Legendam S.Bonifacii* complexum ex Neumeieriana bibliotheca non ita pridem hic diſtracta mihi vindicaverim. Nam is ipſe codex eſt, qvi toties laudatum qvoq; *Antiqvitatum Erfurtenſium Variloqvum* continet. Interim uti illa qvæ vocatur Legenda non pauca habet bonæ monetæ; ita anachroniſmis qvibusdam diſtinctam reperi: qvæ me potisſimum movere, qvo minus integram narrationem inſtituti judicii provincialis approbem. Maneat igitur hactenus Ludovico Landgravio ſuprema in Thuringiam Auſtralem univerſam jurisdictio; ſalvis tamen aliqvorum jam partis immunitatibus.

Deinde Ludovicum ex reliqvorum Comitum ordine in ſublimem Principum dignitatem ſublatum dixi. Nempe & diplomate cœnobio Portenſi anno CIↃCXL. vertente poſt creationem Landgravii decennio datum inter Principes nominat *Ludovicum Comitem Provincialem Thuringiæ.* Poſterior porro de Landgraviis Scriptor qvando obitum hujus Ludovici recenſet, *Principalem* exinde *Comitem* procul dubio vocat. Sic enim ait: *Anno Domini CIↃCXL. Ludovicus primus principalis vel provincialis Comes, filius fundatoris noſtri, pridie Idus Januarii obiit, ſepultus in Reinbersborn.* Et hic qvoqve verus Ludovici emortualis annus eſt, pro qvo prior qvadrageſimum nonum falſo poſuit. Principalem Landgraviorum dignitatem etiam agnoſcit Krantzius Metropol. lib. VI. c. XXII. *Eqvidem*, ait *de Provinciali*

Comi-

Comite & Marchione jam compertum eſt: qvia inter Principes numerantur, Comites indiſtincte non ita.

Ceterum qvia aliqvot Scriptores memorant Ludovicum noſtrum in Hermanni Comitis de VVinzenburg, qui aſſaſſinii reus dignitate poſſeſſionibusqve multatus, ſuffectum fuiſſe locum, pœne hanc in ſuſpicionem venio, ac ſi jam ante hic Hermannus Provincialem qvendam Thuringiæ Comitatum, neqvaqvam tamen tam illuſtrem ac in Ludovico redditus, in manibus habuerit. Ex Chronico Gozezenſi, monumento plane eximio, ab amantiſſimo mei Madero cum Chronico Montis-Sereni in lucem edito hoc exſculpo. Dabo locum integrum: *Annus qvartus Lotharii Regis computatur, cum generalis curia Quedelinburg in Pentecoſte celebratur. Hic Hermannus de Wintziburg provinciali* (forte provincialis) *honoribus, dignitatibus, principum judicio abjudicatur: Wintziburg obſidetur, capitur, incenditur, funditus ſubvertitur. Cauſa fuiſſe dicitur, quia Burchardum de Luckem, regis qvidem conſiliarium, hominem vero ſuum, pro cujusdam caſtri exſtructione fraude circumvenerit, & fide violata occiderit. Cujus principatu Comes Ludovicus ſublimatur, quippe qvi Regi, ut fidelis, ut prudens, cariſſimus habebatur. Sed & reginæ propinqvus fuiſſe narratur.* Dodechinum qvoqve huc poſſis trahere ad annum CIↃCXXX. ſcribentem: *Hermannus de Vinzenberg Burchardum de Lochenheim, virum* Regi *fideliſſimum, in colloqvium vocans occidit. Ludovicus Comitatum Thuringiæ Hermanno judicio ſublatum a Rege ſuſcepit.* Niſi enim Comitatum provincialem intellexeris, hæc neqveunt ſubſiſtere. Nam ante Hermannus qvam privaretur ſuis, Ludovicus Comes erat, & hæreditarius qvidem Thuringiæ, auctus inſuper hæreditate fratris Henrici, qvem Rasponem vocant: qvo de iterum Chronicon Gozezenſe:

Raſpo Hinricus immatura morte defunctus viam univerſæ carnis ingreditur, ſepultusq; apud Reinberesbrunnem conſpicitur. Qvi, uti memoravimus, qvia ſine liberis diſceſſit, frater Ludovvicus hæreditario jure ſucceſſit. Supra hæc nondum plura obſervavi de Hermanni VVinzenburgenſis Provinciali Comitatu. Thuringiam tamen ſub ejus ditione fuiſſe, diſerte prodit Theodoricus Engelhuſius: qvi procul dubio antiqviorem exſcripſit: *Ipſe*, inqvit (Lotharius) *fecit primum Lantgravium Thuringiæ Lodovvicum, cujus pater conſtruxit* Reynsborne. *Nam antea terra Thuringiæ fuit ſub Comite de* Winzingeborg. *Hermannus autem Comes ibidem, qvia occidit dominum ſuum Vdonem Marchionem, factus reus læſæ majeſtatis tradidit cum caſtro Imperatori.* Vltima Engelhuſii ſe cum aliis Scriptoribus non convenientia haut vacat nunc examinare.

Ceteri vero qvamvis Hermanni calamitatem memorent, hanc tamen dignitatem prætereunt, nihilqve videntur aliud aſſerere, qvam Ludovicum accepiſſe Comitatum VVinzenburgenſem Producemus teſtimonium ex Montis-Sereni Chronico ad ann. CIƆCXXX. *Henricus Comes & ſignifer Regis, frater Ludovici Comitis de Thuringia clam occiſus eſt. Burchardus de Lückenem Comes Friſonum, a militibus Domini ſui, voluntate ipſius in qvodam cœmeterio occiſus eſt. Hujus perfidiæ vindex Luderus Rex, Wincenburg caſtrum ipſius fregit, & Comitatum ipſius dedit Ludevico dicto de Thuringia.* Chronicon Bigaugienſe ſive Pegavienſe: *Hinricus Comes frater Ludevvici obiit anno CIƆCXXXI Hermannus de VVincenburg per Regem cuſtodiæ in* Blanckenborg *mancipatur; Winciburg deſtruitur.* Ipſe Hermannus vitam duxit ad annum CIƆCLII. qvo cum prægnante uxore occiſus eſt. Dodechinus: *Hermannus Comes de Vintenberg cum uxore ſua interemtus eſt.* Chron. Montis-Sereni: *Hermannus Comes de Wincenburg cum Luchara uxore ſua prægnante in ipſa urbe*

a ſuis

Digitized by Google

a ſuis occiſus eſt. Chron. Bigaug. ad ann. CIƆCLI. *Hermannus de Wincenboreb cum Lucburdi conjuge inſidiis ſuorum in domo propria occiditur III. Kal. Febr.* Chronicon Stederburgenſe: *Hermannus Comes de Winzenborg ſimul cum uxore a miniſterialibus Eccleſiæ Hildenſemenſis occiditur.* Engelhuſius: *Iſte Comes poſtqvam non ceſſavit a tyrannide, cum uxore ſua Lutgard impregnata, qvam priore dimiſſa duxerat, a miniſterialibus Hildeſemenſis diœceſeos gladio transverberatus eſt in lecto III. Kal. Febr. anno Domini CIƆCLII.* Percuſſor Hermanni nobilis erat Svevus ex ipſius Comitis miniſterio, cujus formoſæ uxori Hermannus vim intulerat. Krantzius Metropol. lib. VI. c. XX. non id modo, ſed etiam qvo pacto Winzenburgenſis Comitatus tum peruenerit ad Hildeſienſem Epiſcopatum exponit. *Bernardus* (verba ſunt Krantzii) *eſt ille, qvi Eccleſiæ addidit dominatum de VVintzenborg, cum oppido Alvelde: admonitus, ut ferunt, a Spiritu, qvi ſe in arcibus Eccleſiæ familiariter fertur junxiſſe multis, vera ſæpe prædicens: Piliolum appellavere. Qvi cum Comes de Wintzenborg a milite Svevo, cujus ille temeraſſet uxorem, oppreſſus eſſet, excitatus dicitur primo mane ab eo ſpiritu Pontifex, ut indilate profectus, arcem vacantem occuparet. Non contempſit ille vocem monitoris, reperitque qvod audivit vera: & occupatam arcem Imperatoris deinde auctoritate tenuit, tenetqve in hodiernum.* Accuratius hæc, ac cædem inprimis Hermanni tradit Heinricus Buntingius *Chronico Brunſvvico-Luneburgenſi* vernaculo pag. CXLI. Quia igitur Hermannus in Comitatu & arce VVinzenburg exhalavit animam, dubium non eſt, quin ſive ſtatim a Lotharii obitu, ſive non diu poſt, & amiſſum receperit Comitatum, & ſedem avitam repararit. Qvæ cum conſidero, non immerito dubitaverim, an unquam VVincinburgenſem Comitatum acceperit Ludovicus. Nam magis in ea firmor conjectura, eundem Hermanni Pro-

ni Provincialem,ſi non nomine, dignitate tamen & potentia, ſed cum nomine his inſigniter auctum ſucceſſiſſe Comitatum. Denique cogitandum etiam relinqvo harum antiqvitatum ſtudioſis, num Hermannus etiam Thuringiæ fuerit Marchio: qvod Chronici Pegavienſis auctor videtur aſſerere: qvæ res conſiderationem accuratiorem exigit.

An hæc de Hermanno VVinceburgenſi aliis in mentem calamumve venerint, ignoro. Eqvidem neminem puto Muſis meis id derogaturum gloriæ, qvod potentem qvendam Thuringiæ rectorem ex obſcuris monachorum chartis in apricum produxerim. Nunc e diverticulo in viam, & ad Ludovicum Principem me iterum converto. Si Provincialis quidam Comes ante Ludovicum fuit, vero admodum videtur ſimile, ceteros Thuringiæ Comites ac Dynaſtas eidem certo modo ſubjectos & ſubordinatos; ac horum præcipuos in illo provinciali judicio, cujus iſte Præſes, ejusdem fuiſſe Aſſeſſores. Poſtqvam autem Ludovicus ſublimem magis dignitatem a ſocero nactus, ac ſolenni vexillorum traditione novus Germaniæ Princeps creatus, longe majorem in ceteros Thuringiæ Comites Dynaſtas ac Nobiles, decenti tamen cum gradus ac ordinis diſtinctione, poteſtatem impetraſſe, extra controverſiam poſitum autumo. Et qvis qvæſo id negare auſit? cum ipſi Comites Thuringi, ac nominatim Bodo Stolbergenſis, Erneſtus & Adolfus Gleichenſis, Guntherus Beichlingenſis, Henricus Schvvartzburgicus, Guntherus Mansfeldius, Erneſtus Honſteinius literis communi conſilio anno CIϽCCCCXLV. exhibitis inter alia profiteantur: *Principatum Thuringiæ inde a prima fundatione vel origine laudabiliter & ſplendide, magna copia egregiorum Comitatuum, Dynaſtiarum & Nobilitatis ad Principatum pertinentium, dotatum & inſtructum eſſe, nec Principem, qvicunque rerum potiatur, dignitatem poteſtatemque*

temque ſuam recte tueri poſſe, niſi ei Comites, Dynaſtæ & Nobiles ad Principatum pertinentes fideliter obediant, atque adjumento ſint. Significantius in Germanico idiomate dicitur: Das Fürſtenthum Thüringen ſey gar löblich und achtbarlich mit einer trefflichen Menge redlicher Graffſchafft/ Herrſchafft und erbarer Mannſchafft/ zu demſelben Fürſtenthum gehörende/ von Anbegin außgeſetzet/ gewidmet und herkommen. Item, daß ein jeglicher Fürſt/ der daſſelbe ehrliche Fürſtenthum innen hat/und eingewinnet/ könne durch keinen Weg baß bey Fürſtlicher Würdigkeit/ Ehren/ Macht/Furcht und Gewalt bleiben/ denn durch getreuen Beyſtand/ Hülffe/ Rath und Gehorſam/ſeiner Grafen/Herrn und erbarer Mannſchafft/ zum Fürſtenthum gehörend. Qvot autem & quales illi fuerint Comites, qui Ludovico Provinciali Thuringiæ Comiti ſubjecti, nondum auſim definire. Et qvid illo opus computo? cum neminem fuiſſe plene planeque eximium affirmare auſim. Fuit tamen jam olim de numero illo ſollicitus diligentiſſimus rerum Germanicarum ſcrutator Cyriacus Spangenbergius, qvi ſuperioris ſeculi anno tertio & octogeſimo ad Marcum VVagnerum Frimarienſem ſcripſit ſeqventia: *Fit in Chronicis Thuringicis mentio XII. Comitum pertinentium ad Ducatum ſeu Landgravionatum Thuringiæ: qvinam ii fuerint, ſcire percupio, qviqve ſint hujus Ducatus hæreditarii vel provinciales Dapiferi, Camerarii, Mareſcalci & Pincernæ.* Qvod ſpeciatim ad Pincernas Thuringiæ attinet, accuratum eorundem Catalogum contexuit Vir munerum dignitate magnificus, prudentia ac doctrinæ varietate mirificus, Frider. Hortlederus: qvem nuper inter alia ſcripta amœbea mecum communicavit Reverendus ac Clariſſ. Eccleſiæ noſtræ Archi-Diac. M. Adr. Beierus, quem honoris cauſa nominans raram ejusdem in congerendis ac diſponendis rebus Thuringicis ſedulitatem ſumme æſtimo.

Inter illos autem Comites, qvi Ludovico ejusqve ſucceſſoribus certo modo ſubjecti, Gleichenſes qvoqve, utut antiqvitate ſtemmatis & lauto patrimonio præfulgidos locum habuiſſe autumo. Non patitur præſentis ſcriptiunculæ ratio de hoc argumento copioſe diſſerere: haut pigrabor tamen occaſione alia de Comitum Gleichenſium origine, incremento, fortunis, & de unius, qvæ fertur, bigamia ſingularia afferre. Et commodiſſime profecto accidit, qvod nuper inter Conſultiſſimi Hoſpitis mei Dn. D. Schellhaſii, Curiæ Provincialis Advocati, libros repererim Michaelis Saxen Concionatoris aulici Waldeccani in arce Thonna ad Michaelem Neandrum anno proximi ſeculi LXXXV. miſſa Collectanea de laudatis Comitibus.

Tantum nunc eſto de Thuringiæ ſtatu tempore Ludovici, Principis Comitis Provincialis dignitate potentiſſimi. Qvæ reſtant in ejusdem geſtis, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, brevi diſcutiam, ſive diſſertatione ſingulari, ſive in Examine nummorum ante biennium in agro Svvartzburgico Rudolſtadienſi repertorum, qvi imagines ſive hujus, ſive filii Ludovici Ferrei exprimunt, cum hac inſcriptione:

LODVVICVS CONES PROVINCIAL.

CONES legitur in illis, non COMES: qvod vel levidenſe æs, vel manus fabri impolita ductum literæ M non admiſerit. Rotam qvoqve in nonnullis conſpicimus; an autem Vice-Dominatꝰ Moguntini teſtem (qvod de ſuo in Præfatione prædicat Cl. Gudenus) ambigo. Nummi diverſarum ſpecierum fuere XII. qvos Illuſtriſs. Comes Schvvartzburgic. Dn. ALBERTVS ANTONIVS, inclytum Germaniæ noſtræ decus & Mæcenas Eruditorum Maximus, B. Anteceſſoris cenſuræ per præcipuum Senatorem Conſiliarium Ahasverum Fritſchium, Virum pietate, candore, doctrina, prudentia, ſcri-

bendi

bendi dexteritate excellentiſſimum commiſit. Ab obitu autem celeberrimi Boſii aliqvamdiu in poteſtate mea fuere, donec ante bimeſtre tempus a laudato Fritſchio repeterentur. Et qvia tum aliis occupationibus diſtento promiſſam disqviſitionem inſtituere non licebat; qvam primum ectypi (qvod propediem futurum ſpero) redierint, ne in malis ſim nominibus laborabo. Neqve tum ſilentii involvetur ſipario laudatiſſimi Comitis Majorumqve gloria, immortali præconio digniſſima.

Et hactenus qvidem propoſiti memor mei de antiqvo Thuringiæ ſtatu ſub Regibus Thuringorum indigenis, ſub Imperio Francorum, ſub Germanorum Regum eminenti dominio, ſub vicaria Ducum, Comitum, Marchionum poteſtate, ſub Ludovico I. Principe Landgravio, per hanc Epiſtolam diſſerui.

Claudite nunc rivos pueri, ſat prata biberunt.

Imo vero hic ſiſte curſum calame, teqve bonorum ac Thuringicæ hiſtoriæ intelligentium, inprimis autem SCHILTERIANO ſubmitte judicio. Extemporanea eſt ſcriptura (qvod nemo non videt) ac inter publicas privatasqve diatribas non nata, ſed immaturi inſtar fœtus raptim excluſa. Qvamobrem benevolus lector, ſi qvibus me obnoxium inveniet erratis, eo libentius transmittet, veniamve dabit. Si cui vero placuerit eadem reprehendere, modo veri amore & modeſte id fiat, neqvaqvam indignabor. Acrimoniam ſtyli & calumnias deprecor, qvibus Deum offendimus, pios lædimus, humanitatis ſtudia proſtituimus. Marq. Freherum inter & Chriſtophorum Gevvoldum de magni momenti hiſtoricis controverſiis contentio Eruditis ignota non eſt; ſed ſumma ſcribendi modeſtia nulliſqve conviciis contaminata non poteſt non lectorem afficere. Deinde qvisqvis in antiqvioribus a me diſ-

ſenſerit, antiqva afferat teſtimonia neceſſe eſt. Neqve enim tutum ſemper allegare recentiores, ut qvi vetuſtis deſtituantur, ſupplere noſtram qveant brevitatem. Vtrisqve (modo habuerimus in promtu) dandus eſt locus; prior tamen, ac unice interdum veteribus. Sæpiſſime decipiunt juniores Chronicorum compoſitores, & pro theſauris carbones repræſentant. Atqve hoc præcipue in cauſa fuit, qvo minus in concinanda hac ſcriptiuncula Joh. Bangium, Joh. Bechererum, Johannem Binhardum, Zachariam Rivandrum, Fridericum Schmidium, & qvi ſunt alii geſtorum Thuringicorum præcones, evolvere ſuſtinuerim. Acceſſit etjam alia ratio; ne ſcilicet cuiqvam qvid detraherem, ſed ſua relinqverem ſingulis. Qvo in exemplo nuper præivit χαριέστατος Wedelius noſter in eleganti ac percelebri Naturæ Curioſorum Collegio digniſſima *Opiologia*. Neqve tamen hæc eo dicta exiſtimari velim, ac ſi recentiorum lectionem faſtidiam planeqve defugiam. Poſtquam enim in hiſtoria veteri vetuſtiores, quos reperire datum, recenſui omnes, tum demum ſuperioris noſtrique ſeculi Chronographos ſoleo conſulere. Id denique faciam in Thuringicis, & non illos tantum qvos laudavi, ſed & alios tam in univerſa Thuringia, quam in parte aliqua occupatos perveſtigabo ſollicitius. Quamobrem etiam non mediocriter me ſibi obligabunt, qui vel editos vel MS codices, vel alia Thuringicarum rerum monimenta, antiqua præſertim diplomata mecum communicabunt. Hoc quia jam tum egregie cœpit præſtare Reverendiſſimi Numburgenſis Capituli Syndicus optime meritus, Caſpar Matthæus Eilenberg, Ictus eximius ac Antiquarius felicisſimus, publica voce hoc ſingulare de publico deque me præclare merendi ſtudium deprædicare volui, debui.

Poſtre-

Poſtremo ad Te, Magnifice Domine SCHILTERE, mea ſe convertit oratio, humaniter precatus, qvi & ipſe me juves porro his in literis, ac alios qvoqve ad parem excites benivolentiam. Hiſtorica ſtudia non modicum reqvirunt cenſum; nec eſt privati hominis in precioſa volumina, ſtatuas, ſigna, nummos, conferre ſumtus. Interea pro viribus a Deo conceſſis laborabo, & ſi aliqvis laborum fructus apparuerit, nec Magnatum patrocinium ac gratiam defore confido. Te vero inter alios Patronos arbitrum qvoq; meorum exoptaverim conatuum: cum is qvi ipſe exqviſita pollet eruditione, aliorum etiam diligentiæ æqvum ſe præbere ſoleat cenſorem. Ita vale, & ceu hactenus, porro qvoqve in SERENISSIMI DVCIS BERNHARDI gloriam ac publicam ſalutem res tuas ſemper feliciter gere. Scribebam XVI. Kal. April. An. Ær. Dion. CIↃ IↃCLXXV.

FINIS.

LECTOR BENEVOLE.

Dum typographus in exſcribendis hujus Epiſtolæ extremis occupatur, ſingulas noni quaternionis philyras non impleri nunciat. Quod autem ipſi contextui nunc non vacaret quædam addere, ſupplementi loco adjungam Cyriaci Spangenbergii, Viri res Germanicas præclare docti præfationem in Marci Wagneri libellum de Thuringia in Pagos diſtributa, ſive, ut Germanica habet Inſcriptio: Thüringen Königreichs/ daß es für und nach Chriſti Geburt in Pagos getheilet geweſen / warhafftiger Bericht / gegründeter Auszug aus Antiquitatibus.

M. CYRIACVS SPANGENBERG

an alle Thüringer.

Unter allen andern vielfältigen Hinderniſſen / daß man biß anhero zu keinem feinem richtigem und ordentlichem Chronico Thuringico kommen können / iſt dieſe nicht die wenigſte geweſen / daß viel Leute / beyde unter dem Adel und ſonſt / auch unter etlichen Gelehrten / was ſie von alten Brieffen / geſchriebenen Verzeichnüſſen / und andern Antiquitäten bey ſich gehabt / und noch haben / niemands anders mittheilen: Noch auch denen nicht / die doch ihrer Geſchickligkeit und Erfahrung halben deſſen nützlichen zu Beförderung und Fortſetzung wol angefangener Erzehlung alter Geſchichten brauchen können / communiciren / oder nur allein ſehen laſſen wollen / und alſo publicum & commune bonum dießfals weniger

niger / denn nichts / geachtet / und gleich wol ie bißweilen bey andern gerühmet / wie ſie wol etwas altes hätten / welches aber andern alſo zukommen zu laſſen / ihnen ungelegen / hierinnen unbetrachtet / daß ein verborgener vergrabener Schatz / nach des weiſen Mannes Bericht / niemands nütze iſt: Darüber ſichs denn auch für dieſer Zeit offt zugetragen (GOtt wolle gnädiglich behüten) daß ſolcher Antiquitäten viel / entweder durch Kriegsläuffte / oder Fetores, oder Waſſers Schaden / oder durch Mäuſe / Motten und andere Würme / verderbet / verlohren / oder doch alſo zu nicht gemacht worden / daß man deren im geringſten nicht mehr gebrauchen mögen / und denn ſolches die Poſſeſſores gar ſehr / aber viel zu langſam / hart gereuet hat / auch endlichen nicht geringe Beſchwerunge des Gewiſſens gebracht / daß ſie guter Leuthe vorige Bitte und Vermanung ſolche Antiquitäten auch andern mitzutheilen verachtet / und im Wind geſchlagen. Da denn doch wol zu erachten / daß die Alten / ſo ſolche Dinge ſo fleißig aufgezeichnet / es freylich nicht darumb gethan / daß es heimlich in Winckel / und ins Verborgen geleget / und in ſteter Finſterniß aller Welt verborgen / und nur einen oder zweyen bewuſt ſeyn ſolle. Denn gewißlich in alten Brieffen und Monumenten nicht vergeblich die Wort geſetzet werden: In perpetuam rei memoriam, Item, Notum volumus eſſe omnibus, Item Fiat, ſicut nunc, & præſentibus, ita futuris, manifeſtum: Welcher intention mit ſolchem ſo unzeitigem Hinterhalten ſtracks zuwider gehandelt wird / da man doch / wenn gleich in alten Brieffen etwan Privathändel / ſo nicht iederman zu wiſſen gebüret / dennoch die Maſſe und Weiſe halten könte / daß darumb was ſonſt zu Erklärung anderer

derer und gemeiner hiſtoriſcher Geſchichte dienſtlich/ nicht aller Dinge in die Aſche dürffte verſcharret werden.

Würden ſich auch verſtändige Historici hierinnen der Gebür/ was nicht zu offenbaren/ wol zu verhalten wiſſen. Aber es iſt auch bißweilen eine lautere Abgunſt/ oder eine Verblendung vom Sathan/ ſo gar die Antiquitäten zu hinterhalten/ damit doch der Poſterität oder Nachkommen ſo wol gedienet werden möchte. Dargegen die gar wol thun / die gleich eine Freude und Luſt haben ihrer Vorfahren/ und des gemeinen Vaterlandes alte Geſchichten mügliches Fleiſſes zu befordern/ und auch derhalben mit deme/ was ſie von alten Monumenten und Antiquitäten haben / denen die mit ſolcher propagation Hiſtoriarum im Wercke ſind/ gerne und williglich dienen und Handreichung thun.